



B 292

*5.*

SEMI-CENTURIA  
VIRORUM DANIELIS  
NOMINE CLARORUM

QUA  
V I R O

MAXIME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO  
ATQUE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

CHRISTOPHORO DANIELI  
SCHREITERO,

S. TH. D. CELEBERRIMO, ECCLESIÆ WURZEN-  
SIS PASTORI, INGENUÆ MISENENSIS SUPERATTENDENTI GE-  
NERALI MERITISSIMO, UT ET CONSISTORII POTENTISSIMI REGIS  
POLONIÆ ET ELECTORIS SAXONIÆ ADSESSORI  
GRAVISSIMO,

*P 532*  
PATRONO, SPEIQUE PROMOTORI  
PLUSQUAM FILIALI OBSERVANTIA

COLENDO

I N I P S O

ANNI M DCC XIII. AUSPICIO  
GRATULABUNDUS,

ÆTERNUM DEVOTISSIMÆ MENTIS TEKMHPION  
PONERE VOLUIT, ET DEBUIT

IPSUS

HUMILLIMUS CULTOR,  
M. JOHANNES SAMUEL OTTO,  
NITZSCHWITZIO - WURZENSIS.

KONFRED  
UNIVERS.  
ZVHALIE

*V 5119*  
L I P S I A,  
TYPIS JOHANNIS HEINRICI KOENIGII.





Ulo magis, VIR MAGNIFICE, maximam, qua pol-  
 les, & auctoritatem mecum reputo, & benignita-  
 tem, eo sane demissiore in eam feror religione, ut  
 in singulare Te mihi prorsus a Clementissimo Nu-  
 minre concessum esse solatium, judicem. sive enim  
 ad praeterita respiciam tempora, sive praesentem  
 eorum examinem conditionem, utroque modo  
 benevolentissimum affectum Tuum ac innumerabilia propemodum  
 beneficiorum genera me deprehendo expertum. e fonte namque me  
 olim sacro levasse, haud Tibi sufficiebat; Tuæ porro MAGNIFICEN-  
 TIAE in primis, si a Deo discessero, debeo & studiorum sortisque ratio-  
 nem, quæ cuncta nisi mente ubivis locorum & temporum gratissima di-  
 laudarem, omnium dubio procul essem iniquissimus. Dum itaque  
 transacto feliciter veteri, novum cum Deo annum auspicaris, quid pos-  
 sum aliud, nisi ut gaudiis Tuis mea simul adjungam. annos ætatis su-  
 perasti octoginta; annos non numero magis, quam fatis conspicuos.  
 hæc autem jam olim e Dei judicio producta, Te ipsum quoque a Deo ju-  
 dicatum monstrant, ac nomen Danielis, quod in sacro Initiationis fœ-  
 dere accepisti, præstantius reddunt, omenque explent. Quare si the-  
 matis loco hic pertractandi Viros eligam eodem nomine gloriantes, nec  
 absonum erit (faces enim luculentissimas huic auso meo prætule-  
 runt & Sumimus ille ævi nostri Theologus, *D. Georg. Henr. Gætzius*,  
*Sup. Lubec.* qui non solum in Oratione quadam solenni Scholaistica Erudi-  
 ditos Luce nomine clares recensuit; sed & in Epistola Gratulatoria ad  
 D. Lucium vocatum Super. Pirnensem demandata dispersos Eruditos  
 Dresdenses collegit: & Exc. *Christoph. Jacob. Blum*, qui in Epistola  
 Gratulatoria ad D. Pippingium, electum Concionatorem Aulicum, Pa-  
 tronum mihi æternum colendum, Eruditos Lipsiæ Natos enumeravit,  
 quorum vestigia legere haud levis venerationis tantorum Luminum  
 species fore videtur, nec quisquam mihi vitio vertet. Equidem vereri  
 poteram, nec immerito, ne MAGNIFICENTIAM TUAM temere in-  
 terpellando, & a publicis seriisve negotiis ad jejunas avocando chartas fa-

cinus inexcusabile committerem : prolixa tamen Tua in me voluntas eum mihi addidere animum , ut quod debens facio , idem intrepide adgredi nullus dubitarim . Admitte igitur , MAGNIFICE VIR , admitte , obsecro , intra musæum hanc , quam decenti cum submissione animi si- sto , *Virorum Danielis Nomine illustrium cohortem* , utque a Tu o splen- dore lucem quamdam , quam in se pagellæ hæ nullam habent , sibi fo- rentur , benignissime permitte . efficies hoc pacto non solum , ut ad portum exoptatum co feliciori raticula mea cursu convolet ; sed & ego , quem debitus erga MAGNIFICENTIAM TUAM reverentia cultus trepidantem efficit , in posterum in præstandis grati animi officiis longe alacriorem firmioremque me exhibere valeam .

Adgressurus autem ipsam Clarorum Virorum Danielis nomine in- signitorum delineationem , facilem mihi veniam promitto , si accur- tam & omnibus numeris absolutam vitæ eorumdem adumbrationem hisce comprehendere cancellis nequeam ; satis interim habens , dummodo præcipuas cujuslibet res gestas , scriptave primaria in nuce velutifistere liceat . servabo vero in enumeratione eorumdem ordinem literarum ; ita tamen , ut ducem illis signiferumque constituam hunc , quem nostræ imprimis meditationi præ cæteris Hagiographis commen- davit Servator .

I. DANIELEM puto , virum illum Θεόπνευστον , in cuius laude prolix admodum fuere D. Rœber P. III. Arc. pag. 362, 675. Dannhauerus in Concionibus Festivis . dolendum sane , quod de ipsius nativitate , genere & morte altum in scriptura sit silentium , ac omnia e profanis petenda scriptoribus , quorum fides , ut plurimum suspecta & fallax , scrutantem in plerisque relinquit dubium . Patriam enim contemplaturus adeat , necesse est , Epiphanium & Dorotheum , utpote qui in Vitis Propheta- rum eam nuncupant Bethoron superiorem , cuius tamen in locum alii substituunt Bethabara prope Jerusalem . neutrè vero parti assensum præbet Zehnerus in Editione Epiphanii modo laudati aliam nominans , nempe Bethzuram . nobili præterea idem Epiphanius genere nostrum refert natum , patremque vocat Σαβαῖον . Officia quod concernit & dignitates , captivum in Persiam missum juvenem , Aulicique primum ministri functum esse officio e Sacris edocemur . mutata vero scena locum adversæ

adversæ concessit fortunæ, inque obscuro aliquandiu vixit. Tertius post in regno salutatus, Triumviri ad mortem usque vicem gessisse uno quasi ore asseritur. ter quotidie pro more suo Deum invocabat palam aperta fenestra versus Hierosolyma, quia Deus promiserat, se captivos auditurum, si facie versus templum obversa precarentur. Reg. VIII. Profundæ fuit scientiæ, id quod testatur locus Ez. 28, 3. Aetatem Chronologii inquirentes, in diversas abeunt partes. Geierus in Comment. in Danieliem sequentes adducit : *Sunt, inquiens, qui Danieliem anno etatis 12. alii 14. & 15. captivum credunt abductum. annos ergo etatis suppulant 1) Zehnerus 98. 2) Wigandus 100. 3) Isidorus no. 4) Pererius 138. 5) Ebrai apud Sanctum 150.* Annos ad minimum 70. Prophetam fuisse asserit Polanus, in comment. adeo ut 6 seculis antecesserit Messiam. attamen ab his e Geiero citatis discedit, aliumve ponit calculum Jo. Clericus, qui in Comp. Hist. Univ. cumdem circa annum mundi 3376. & ante Christum natum 608. anno captivum a Nabuchodonosore fuisse abductum, vixisse vero ad annum usque mundi 3446. s. A. C. N. 538. affirmare non veritus est. Danieliem porro Babylone mortuum, sepultumque ibidem in spelunca quadam fuisse testantur Epiphanius & Dorotheus. ast si scripturam consult quidam eruditus ex cap. X. v. 1--4. prophetiæ Danieliticæ Hagiographum anno Cyri Tertio in Susiana fuisse, tunc temporis valde senem, evincere satagit. ulterius ille pergit, neminem, quod Noster Babylonem regressus sit, ibidemque diem obierit supremum, ex vetustioribus unquam prodidisse. vero igitur ipsi videtur propius, illuc discessisse, ubi senectutem egerit. major huic veritati lux affulget, si Benjaminum confero Tudensem in Itinerario sequentia referentem : *In Susis Metropoli Abasveri quondam Regia, suo tempore Danielis loculum vitreo inclusum conditorio, de ponte supra flumen in medio catenis suspensum ferreis, cum lirigium inter utrosque fluminis accolas, Sancti hujus reliquias ex aquo appetentes componi non potuisset.* his itaque probe consideratis Danieliem non Babylone, nec Ecbatanis, sed Susis sepultum probabilius videtur, levisque judicanda eorum ratio, qui Hierosolymam rediisse, & magna interfuisse Synagogæ volunt, de quibus prolixior est Bochartus in Phaleg. L. III. c. 14. dissentientem vero iterum habet Huetium in Demonstr. Evang. Propof. IV. p. 468. & P. Allixium in Consider. Bibl. Vexata

pōrro quæstio est, an Daniel fuerit Prophetæ, an Eunuchus? Prophetam  
non fuisse, sed Eunuchum consentiens est Judæorum ferme omnium  
opinio. ad prius stabiliendum Majemonides in More Nevochim has  
allegat causas 1) quod etsi angelus se ei dederit videndum, eumve rerum  
futurarum imbuerit notitia, per somnium tamen id factum, eaque pro-  
pter ipsius librum non inter prophetias sed hagiographa collocandum.  
2) quod more non propheticō vixerit, sed principum. 3) quod ex Eze-  
chia credatur prognatus, ac proinde ex Davide, cuius prosapiam Reges  
daturam putant, non prophetas. Eunuchum fuisse vulgo creduntur  
suadere verba Jes. 39,7. Dan. I. 3, cui olim subscripterunt sententia Origines & Hieronymus. ipsi Pontificii, uteœlibatum commendent, de  
Danielis gloriantur exemplo. Ita enim Corn. a Lapide: Illibata m, ait,  
virginitatem ad mortem usque servavit, uti omnes consentiunt. Damas-  
scenus castitatem Nostri dicit causam, cur in medio leonum a Deo sit ser-  
vatus. abiens ab iis Epiphanius afferit: Erat ita continens, ut Judæi exi-  
stimarent esse spadonem. id quod vulgo probatum eunt nonnulli ex eo,  
quod Daniel magistro eunuchorum regiorum fuerit traditus. Illi autem,  
qui a parte stant adversariorum, ad prius excipiunt: recenseri Da-  
nielē ab ipsis Judæis in Talmudico libro Megillah inter prophetas cum  
Jeremias & Aggæo; nec solummodo è maximis unum appellari proph-  
etis, aliis etiam anteponi a Josepho L. X. c. 12. Antiqu. Jud. ipse Maimoni-  
des, Judæis cæteris accuratissimus, Danieli Psalmos, librum Ruth, E-  
sther tribuit, quos omnes instinctu Spiritus S. (en characterem vere pro-  
pheticum!) conscripsisse haud in dubium vocat. nec levioris sunt  
momenti, quæ ad alterum regerunt assertum. remanet enim res adhuc  
obscura nonnihil & incerta, ex denominatione Danielis דניאל, ejusve  
duplici acceptione. accuratissimum sane est judicium Geieri in comment.  
Danielē non in respectu ad virium defectum & mutilatum corpus, sed  
quoad officii secretioris rationem hoc ipsum gesisse nomen, adeoque fuisse  
uxoratum, liberisque a Deo donatum, non improbabiliter colligitur ab aliis  
ex Ezech. XIV. 14. ubi invicem conferuntur Noah, Daniel & Job tum ratione  
devotæ pro aliis intercessionis, tum ratione sobolis, malo communis involutæ  
ac intereuntis, quod si itaque Daniel liberis caruisset, incongrue sane cum  
Noacho & Jobo esset comparatus, quibus liberorum ex tam infecto loco li-  
beratio

beratio denegata. Quare odium Judæorum in Danielem ex allatis lu-  
culenter satis elucescit, nec tamen defuerunt e Gemaristis, istum pro  
Messia venturo habentes. legatur hac de re Lightfoot, Hor: H. &  
T. in v. 14. c. XVI. Matth. qui sic ratiocinatur: *Observes ad memori-  
am mortuorum hic recursum, e quibus oriturum Messiam, potius quam  
e vivis, inter alia forsan haec ratio suasit, quod minime tunc dierum ex-  
spectari posset ea pietas in aliquo vivente, qualis cluxerat in ipsis mor-  
tuis. quidam e Gemaristis Babylonicis Danielem e mortuis resuscitatum  
Messiam futurum suspicatus est, suusque hoc forsan ulterius, quod re-  
gnum Messia a resurrectione exorsurum existimarent: quod opinantibus  
propinquum erat, credere ipsum Messiam nobiliorem aliquem e sanctis  
mortuis futurum, illumque resurgentem reliquos secum adducturum esse.  
quamlibet vero nemo nostrum, meliora e sacris edoctus, ipsum cre-  
diderit Messiam incarnandum, non tamen erubuit citatus Lightfoot  
ipsum in Hor. H. & T. in v. 3. 4. 5. cap. V. Matth. præ cæteris beatum  
prædicare; His sex, inquit, sunt unusquisque benedicti benedictionibus sex  
David, Daniel cum tribus sociis & Rex Messias. Circa personam hac-  
tenus ipsius quum fuerim occupatus, de nihilo neantquam erit, si  
nonnulla de Scriptis ejusdem hic inseram. Ubi statim quæstio oritur  
notatu digna: an unius Danielis in Scripturis fiat mentio, an plurium?  
s: utrum Daniel propheta alius sit a Daniele Susannæ vindice. Quid de  
re olim dubitationis causam Hieronymus in Comment: in Danielem  
& quidem in procœdio præbuit, sic enim ille. *Primum hic notari ve-  
lim, titulum illum ad Beli solum & Draconis historiam pertinere; Eusebi-  
um vero & Apollinarium ad Susannæ etiam historiam ex conjectura, uti  
quidem verisimile est, extendisse.* Danielem autem Susannæ vindicem  
eumdem cum propheta fuisse, nemini absurdum videbitur. dubitanti enim de hujus veritate vetustissimæ Græcorum opponenda editiones,  
in quibus non distinguuntur, immo ab historia Susannæ initium trahit Prophetia. notandum scilicet, quod XII. annorum puer scriptum istud dicatur concepsisse historicum. Libros equidem hos Danielis pariter & Esdræ, Nehemiae, item Estheræ ab uno quodam anonymo ex annal. publ. diu post Judæo-Maccabæum descriptos, sive ex describentium festinatione corruptos esse, olim evomuit Spinoza. ast  
atheum*

atheum hunc, cæterosve judæos prophetiæ *Geonievitav* in dubium vo-  
cantes refutavit suo jamjam tempore Josephus supra allegatus: *Quos-*  
*cunque ejens, libros a se conscriptos reliquit Daniel, leguntur hodie apud*  
*nos atque hi nobis fidem faciunt, Daniel cum Deo colloquia habuisse;*  
*& CHRISTUS ipse Matth. XXIV. 15.* hunc titulo prophetæ donavit.  
quare modernorum ira judæorum nullo alio excitari magis potest,  
quam dictorum ex Daniele citatorum prolatione, hanc in primis eti-  
am ob rem, quoniam doctrina de LXX. hebdomadibus incarnationem  
Messiae factam ipsis reddit certiorem. horrendum sane in *Talmud Mas-*  
*sebeth Sanbedrin c. II.* legitur judicium: *Exspirent animam, qui tem-*  
*poris articulos suppuntant, id quod Lipman confirmat: eorum animæ per-*  
*eant, qui tempora suppuntant.* Hebdomades, quod spectat modo di-  
ctas, quarum Dan: IX, 24. mentio fit, dissecantur eæ in triplicem an-  
norum summam, eam vero admodum inæqualem: *primo* in 7. he-  
bdomadas vel annos 49. a dato diplomate Cyri de reædificanda Hiero-  
solyma ad finitam reædificationem a Nehemia factam; *altera sum-*  
*ma continet 62. hebdomadas vel 434 annos, a finita scilicet reædifica-*  
*tione ad initium ultimæ hebdomadis e LXX, quo spatio tempora*  
*Monarchiæ Persicæ, & Græcæ & Syro-Persicæ omnia præterfluxerunt,*  
*ut & ea, quæ Romanorum in judæos imperio sunt tribuenda; ultima*  
*tertio hebdomas in duas e textu sacro, versu nimirum 27. secatur par-*  
*tes æquales. enumeratis ante primo hebdomadibus septem, & dein 62.*  
ita ut cum reliqua sit una tantum e LXX. & quidem ultima, ab ejus  
medio exordietur Messias ministerium suum: quo per 3. annos &  
diuidiatam istius partem posteriorem peracto, cessare ille facit sacrifici-  
cium atque oblationem. quæ omnia fusius legenda apud *Lghtfoot*  
*Hor. Hebr: & T. in v. 6. cap. III. Matth.* plura quoque cupidio lectori  
suppeditabit *Glasfus* in *Phil:* S. L. I. de Text. V. S. Purit: cui & addi  
meretur, *Dorschæi Diff:* de LXX. hebdomadis Danielis, Argentor: a.  
1651. habita.

11. Perflustrata jam Danielis historia, ordo Alphabeticus con-  
spectui nostro primum sifist DANIELEM ARNALDUM, Tarasconen-  
sem Nobilem, poetam Provinciensem (aus Provence) qui sec: XII.  
süb imperio Alfonsi I. Comitis Provinciensis vixit. Varia conscri-

missio

psit

psit Poëtica, visa Franc: Petrarchæ haud inutilia, qui & eamdem ob rationem Arnaldum imitari summo sibi honori duxit. Inter alia Viri hujus scripta magni cum primis habentur ea, quæ sub tit: Las phantasmurias del Paganisme, edita errores Gentilium perstringunt. Mortuus dicitur anno 1189.

Non confundendus cum Daniele nostro est ANTON: ARNALDUS, Theologus Sorbonicus, celeberrimusque Pontificiorum Promachus, quem Act. Erud. Lips. ad ann: 1710. p. 121. sqq. d. 6. Febr. 1612. natum, purpuream saepius oblatam continuo detrectasse, annove fere 83. post d. 8. Aug. 1694. decessisse referunt. in Belgico exilio demortuus libertates ecclesiae Anglicanae defendit in libro, quem *de frequenti communione* scriptit, in cuius præfatione Petrum & Paulum Ecclesiæ capita designat. quod scriptum postea ab Innocentio XI. PP. peculiari bulla damnatum, tandemque crematum affirmat *Adami* in deliciis N. T. ann. 1695. p. 1245. confirmando porro sententiam suam creditur *Antonius* hic 1.) in Tr. Gallico de autoritatē Petri & Pauli. 2.) in Tr. Grandeur de l'Eglise Romaine établie sur l'autorite de S. Pierre & S. Paul. Adversarios *Arnaldi* hac in parte fusius recenset B. *Itigius* in Diss. de origine controversiæ circa æqualem Petri & Pauli primatum. quorum postremus haud fuit antagonistæ *Theoph. Raynaudus* 1.) in Corona aurea R. P. 2.) in Tr. collationem *Arnaldi de Brixiæ* cum *Arnaldo de Lutetia* continente; in primis autem 3.) in Tr. de ecclesia bicipite. Plura qui de hoc legere gestit, adeat maximum Plissensis Athenæi Theologum, Patronum Præceptoremque meum summo studio colendum, Magnif. D. J. *Olearium*, qui in Diss. de Peccato Philosophico d. 16. Sept. 1690. hic loci habita §. 7. sqq. prolixè de hoc agit. it: Excell: *Zach. Grapium* in Tr. Theologia recens controversa absoluta p. 100. sq.

I.I. DANIEL BARTOLUS, Italus, vir summi alias ingenii, de quo longe abest, ut aliorum superaddam judicium, ut potius instar omnium Excell. hic commemorem *Morphosium*, acerrimum alias & autorum & rei literariae scriptorum censorem, utpote qui sequens de eo Polyh. L. I. p. 186. seqq. struit ratiocinium. *Varios* (sc. noster) libellos scriptit *Italica lingua* cultu orationis pene nimios. *Inter illos* est liber de literatis eorumque virtutibus & vitiis, qui in Germanam quoque linguam translatus est. *Conversus* est etiam in linguam latinam cum hoc titulo: *Character hominis literati*. *Multa* in illo arguta sunt de scriptis satyricis, obscenis, plagiis &c. sed ad eloquentiam magis quam historiam spectant: nam bellie ele-

gantisque ingenii lusus circa singula capita apud illum habentur. Scripta libri, in quibus eloquentia ecclesiastica usus est. adducit præterea citatus Morhosius eodem loco *Theophilum Spizelium & Franc. Ridderum*, qui de eodem argumento aliquot conscripserint libros. An hic idem sit cum Bartholo isto, quem A. C. 1345 floruisse tradit P. Mich. Pexenfelder in Appar. Erudit. p. 473. aliis dispiciendum committo.

Separandus longe a nostro venit Job. Bapt. Bartholus vir nullius alias rei rudi, dignus tamen, qui classi eruditorum sine moribus a Cl. M. Frid. Ernest. Scholze, in Diss. de eodem themate Lips. 1705. habita adnumereatur. Alius præterea, nomine *Bartholinus Bartholi* Carmelitæ meminerunt Autores des Berichts von neuen Büchern. p. 670.

IV. Producitur DANIEL BECKER, Regiomontanus, Med. D. & P. P. Elect. Brandeb. Archiater atque Consiliarius. natus creditur d. 5. Jan. 1627. patre Dan. Beckero, Med. D. & P. P. Electoris Brandeb. Archiastro & civitatis Kneiphofianæ Physico; matre Maria, Jo. Lenzen, Consulis Witteb. filia. Supremos in Medicina honores Argentorati d. 22. Sept. 1652. est consecutus, post rediens per Bataviam ad suos, coniugem sibi an. 1655. junxit Reginam virginem, Christoph. Schimmelfengii, Hæreditarii in Suncken filiam; hac vero mortua alteram sibi elegit, Sophiam itidem Virginem, Cyriaci Heilsbergeri senatoris in Palæopoli filiam. mortuus tandem mense Febr. 1670. Scripta quod concernit hujus primarium inter ea locum habent 1) *Spagyria Microcosmi*, Rostoch. 1622. 12. post triplo auctior & correctior edit. Lugd. Bat. 1633. 4. 2) *de cultivoro Brusslico observatio Regiomont.* 1636. 4. Lugd. Bat. 1638. 1640. 8. Germanice Regiomont. 1643. 12. 3) *Medicus Microcosmus* Lugd. Bat. 1633. 4. & Lond. 1660. 12. 4) *historia morbi Academicus Regiomontani*, ibid. 1649. 4. 5) *Haus-Apotheck von Beschreibung des Hollunders und Bachholders*, Regiom. 1650. 8.

Consonant quod cognomen, non prænomen 1) *BARTH. BECKER* Ecclesiastes Amstelodamensis, vir eximia suo tempore eruditionis, acerrimus post Bened. Spinozam Monotheistarum in Belgio defensor, de quo vid: Tenzelius in monat. Unterredungen, an. 1692. 1693. ubi ipsius etiam conspicitur effigies. Quantos hic libro: cui inscriptio *Mundus Fascinatus*, An. C. 1691. edito excitaverit motus, prolixè tradit eximius Historicus *Georg. Hornius* in historia Ecclesiastica, p. 874. sq. hoc namque intendens, ut dī abolorum



abolorum operations in hominem esse nullas, quemlibet & edoceat & convincat. adversarios in Belgio habuit varios; *Everhardum van der Hooght*, *Joh. Aastium*, *Paul. Steendinckelum*, *Jo. van der Wayen*, *Sam. de Vries*, *Melch. Leydeckerum*, *Petrum Poiretum*, *Jo. a Marck.* &c. Consilendus est, si lubet, Magnif. D. *Fechtius* in Diff: libellum: *das ewige Evangelium examinante*, A. C. 1699 Rostoch: habita, it: *Christ. Wildvogelii Angeloscopia legalis* 1692. divulgata, & denique D. J. Fr. Mayeri Diff: ad dict. Act. XVII. 28. *Gryphius vvald.* 1707. conscripta. 2.) D. CORN. BECKER Theol. Lipsi, qui initio Sec: XVII. Sam: Huberi tempore floruit, uti adnotat Abbas Mariavallensis, D. J. Andr: Schmid. in Diff: de Sam. Hubero Helmst. 1708. prodita p. 64. 3.) J. PISTORIUS, Nidanius, Jacobi Marchionis Badeni: Consiliarius, cuius vitam factaque nefanda pluribus tradidit *Fechtius* in hist: Colloq: Emmendingensis. 4.) MODESTINUS PISTORIUS, Consul Lipsi. 5.) SIM. PISTORIUS, JC. Lipsi. d. 28. Oct. 1489. natus, ac A. C. 1562. d. 2. Dec: denatus, uti de utroque Cel. Blumius supra citatus in Epist: Gratulat: asserit. 6.) THEOPHILUS PISTORIUS, cuius enchoridion lingua S. Ebr. Grammaticum nimis breve in 12. vulgatum allegat Danzicus in Exercitatione sua Critico-Literaria.

V. DANIEL BREENIUS, quem Buddeus in Lexico dicit primo Arminianum, cuius patria urbs Harlem, annus nativitatis 1594. mortis 1664. Praeceptor *Episcopius*. post vero ad crastra Anabaptistarum transiens & Mennonistarum, Socini errores acriter defendit. Scriptis examen tractatus a Simone Episcopio, Praeceptore conscripti super quæstione: an liceat christiano magistratum gerere. cetera vero opera a Buddeo recensita junctim a Franc. Cupero post edita habentur. idem Compendium *Theologie Erasmicae* (intelligendus hic erit Desiderius Erasmus Roterodamus, antea Gerardus Gerardi dictus, nomine Gerardi ob cognatam idiomatis Belgici significationem mutato in prænomen Desiderii & agnomen Erasmi, vocis græcæ, quæ latinis amabilis) Roterodami a. 1677. edidit: librum anonymum a Breenio compositum *de Regno Ecclesiæ glorioso per Christum in terris erigendo* &c. prolixe refutat Excell. fidei nostræ defensor, B. Bayerus in diff. de Regno Ecclesiæ Glorioso p. 29. sqq. edidit præterea notas in Scripturam S. quæ nimium quantum *Socinianismum* spirant. Quæ hæresis quamvis primariam sibi sedem, ubi late sparsa est, fecerit Poloniam; attamen circa A. C. 1569. Socinianos jamjam in Belgio fuisse constat, quos inter eminuit

*Hermann van Feltwyck & frater ejus Cornelius.* Postea iidem nidiari in Belgio cooperunt, postquam ex Polonia fuerant disturbati. *Oftorodus* namque in Bataviam secedens magnas ibidem dedit turbas, donec anno 1653. *Senatus Amstelodamensis*, ut & *Foederati reliqui editum* sat acerbum adversus eosdem evulgarent, quod vero eques quidam Polonus in *Apologia* refutare voluit. Licet autem Magistratus Belgii gravissime fese opponeret Socinianis, paulo tanten post editum delituerunt inter Mennonistas atque Arminianos, ex quorum numero fuere Breenius noster, *Jo. Stoinius, Zwickerus, Wissowatius*, (nobilis Polonus, qui *Spanhemii Collegium Anti-Socinianum* refutavit) aliique quos praeter Sandium in *Bibliotheca Anti-Trinitariorum*, & Sagittarium in *Introductione Hist. Eccl. Bentheimi* in *Holländischen Kirchen- und Schulen-Staat* recenset. *Belgium* hodiæ primarius veluti locus est Socinianorum, nam præcipua ferme eorum scripta lucem ibidem acceperunt & adspiciunt, quod vel unice patet ex editione *Amstelodamensi Bibliothecæ fratrum Polonorum*. Ex *Reformatis Belgis*, qui Socinianorum progressus impedire non una vice sunt conati, excellunt *Spanhemius & Hornbeckius*, ne dicam de aliis Belgis, qui prolixis scriptis eosdem refutarunt:

VI. DANIEL CHAMIER, Seculo XVII. celebris, cuius patria Delphinatus. Vocatus anno 1612. Montis Albani (urbs regionis Caducorum Gallicæ) Concionator, post Theologiæ declaratus Professor. maximus ille Calvinianorum Promachus, obque vastum illud opus, cui titulus: *Panstratia Catholica*, (A.C. 1626. Genevæ cum Ben. Turretini Prof. ibidem Theologiæ præfatione edita & a Filio Adriano Chamiero Synodo Ecclesiæ Reformatæ in Gallia Nationali dicata, cuius operis compendium sub titulo: *Chamierus contractus* anno 1643. fol. Genevæ a Frid. Spanhemio typis impressum est) Lutheranis haud ignotus, cuius falsissimam Scripturæ S. interpretationem refutationem dignam plurimi nostratum putarunt; e quibus liceat adducere D. Val. Velthemiū in Diff. ad dict. I. Tim. II. v. 3. 7. Jen. 1695. it. D. Andr. Kunadum in Diff. ad dict. Jer. 31. 18. 19. Witt. 1701. M. Petr. Theod. Seelmann, Ecclesiastes Stasfurtensis in libro: *Erquickstunden P. II.* p. 213. sequentia de ejus morte refert: *istum*, inquiens, *de Rege Ludovico XIII. anno 1621. urbem su-*  
*pra*

*pra dictam Montauban oppugnante, in cathedra publice verba fecisse, ipsiusque inutile opus, quod Rex adgressus erat, tribus praedixisse vici- bus: de rostris autem Sacris cum descendisset, armatum postea aggeribus se hostium armis exposuisse, itaque bombardae periisse. legi præterea de autore nostro meretur Grammondus in Hist. Gall. L.X. d' Aubigne Hist. Univ. T. III. Varillas hist. de l' heresie.*

Alium ejusdem nominis auctorem, quantum mihi quidem constat, non no-  
vit Orbis Literatus, præter FRANCISCUM CHAMIERUM Gallum Pon-  
tificium, qui anno 1663. Comment. in Scripturam S. in fol. edidit, in quo  
licet brevis sit, selectiora tamen dicitur habere realia.

VII. DANIEL CLERICUS, Senator Genevensis non levem sibi per-  
historiam Medicinæ apud eruditos promeritus famam. Pater ipsius di-  
citur ab Exc. h. t. Professore Moralium Lipsiensi, Gottlob. Friedr. Jenichen  
(in præfat., quam J. Clerici Operibus Philosophicis in IV. Tomos dige-  
stis & Lips. 1710. editis, præposuit) Stephanus Clericus, Prof. Græc. Lin-  
guæ & Senator Genevensis: Patris Frater David Clericus, Prof. itidem  
istius loci LL. OO; Mater nostri Clerici Susanna, Galatini Senatoris  
Genevæ filia; Frater ipsius minimus, Franciscus Clericus, mercator Li-  
psiensis; minor vero famigeratissimus ille J. Clericus, ob controversiam  
in primis cum P. Burmanno & scripta nonnulla, quæ hinc inde vel sub  
proprio nomine, vel Pseudonymus; (sic enim sub Liberio a S. amore;  
Gorallo; Theophilo Aethino; Critobulo Hieropolitano latuit) edidit, qui  
Genevæ 1657. natus, studia primum humaniora & philosophiam sub au-  
spicio Cl. J. Chonet excoluit; iterata vero scriptorum Theologicorum  
Stephani Ciercellæ, aviae fratris lectio, Arminianorum professus do-  
gmata, omnium Theologorum Genevensium, in primis Francisci Turre-  
tini hinc in se excitans odium. profugus postmodum in urbem Sam-  
bour, epistolas sub nomine Liberii de S. amore edidit, omnium judicio &  
censuræ obvias. tempora vero cum & ibidem essent nubila, fatis ce-  
dens, Angliam cum Gregorio Leti profectus, Londini semestrem Galli-  
cum egit Concionatorem; abiens tandem ex Anglia, Amstelodami a  
Remonstrantibus Philosophiæ creatus Professor, conjugium init cum  
modo laudati Leti filia majori, genuitque unicum filium anno aetatis X.  
mortuum. Plura de Viro tantæ famæ & autoritatis hic commemorare,

supervacaneum utique censeo , cuni omnes ferme , plerique sane libri , quid memoratu dignum de eodem referant.

Alius præter hosce celebres Clericos olim inclaruit SAM. CLERICUS , Theol. D. haud ignobilis , infelix vero Paul. Riccium judæum conversum & eruditum secutus , qui & anno 1667. 8. librum de Synedriis & Pœnis transtulit Mischnicum. Parum a recensitris quoad sonum differt SAM. CLARCKIUS , Diaconus Norvicensis , Anglus , qui circa annum 1705. in libello suo Anglo-  
lico , cui titulus : Demonstratio essentia atque attributorum Dei , quæ nullum positivum conceptum , sed tantum negativum de Deo concedunt . Atheismi atque Spinozismi ab autore quodam anonymo Anglo accusatus est . De J. CLERICO Cagminario , cuius patria Meldæ , urbs non longe a Parisiis dissita , martyre ; de JO. CLERICO , BUSSY alias dicto , Parlamenti Parisiensis Procuratore , & J. CLERICO , Episcopo Bathoniensi Angliae (Bath) qui Sec. XVI. vixit , consuli , si libet , potest Buddeus in Lexico .

VIII. EHREGOTT DAN. COLBERG. Wismariensem ad D. Nic. Pastor , Regiique Consistorii Assessor. natus anno 1659. Colberga , urbe Pomeraniae ; Patre Jo. Colbergio , tum temporis Pastore Primario Colbergensi , quem postea Gryphisvaldensis Academia habuit Doctorem Theologiæ & Professorem Ordinarium , Facultatis Seniorem , Consistorii Assessorem & Pastorem Marianum ; Matre Christiana Elisabetha Pfeiffia . Duxit anno 1692. Elisabetham Margaretham , Fridericæ Gerdesii J. U. D. & P. P. Gryphisvaldensi filiam duorum filiorum , totidemque postmodum filiarum matrem . animam Deo reddidit d. 30. Oct. anno 1698. æt. 40. Edidit noster anno 1686. duplicem Tractatum , sc. descriptionem Monarchie Sueo-Gothicae ; it. delineationem aliam Monarchie Sueo-Gothicae , it. discursum moralem de tolerantia diversarum religionum politica ; anno 1689. 1690. partem priorem christianismi Platonico-Hermeneutici ; it. regnum tenebrarum ex Aristotelica Philosophia & Theologia mixtum ; de tribus viis cognoscendi Deum ex divina Physica , Metaphysica & Hyperphysica , it. Sciagraphiam Philosophiae Moralis , it. discursum moraliter de consuetudine irrationali , it. discursum de errore populi circa mores : it. Veritatem sub involucro fabularum latenter , ut reliquos taceam , quos recensent Acta Erud. Lips. 1694. p. 386. & Suppl. T. II. Sect. X. p. 461.

IX. DANIEL COSNACUS Archi-Episcopus Aquensis , qui circa finem

finem præteriti seculi quæstionem illam : *an religiosi monachi habeant quedam privilegia a Pontifice concessa, quorum ope eximantur a potestate episcopali illius loci, in quo commorantur?* impugnavit, neganda. Immo Regis Galliæ ope fretus adjutusque, neglectis Papæ literis monitoriis, pessimos Monachorum, Papæ jura obtendentium, mores severe emendavit, ut refert Magnif. *Læscherus* in relationibus innocuis anno 1702. pag. 236.

Datur alius, BERTRANDUS COSNAC, s. DE CHANAC, Episcopus Comitatus Convenensis in Gallia, post Cardinalis, anno 1373. Avenione mortuus, de quo *Buddeus* evolvendus in Lexico.

X. DANIEL CRAMERUS, Excellens Theologus, natus 1568. d. 20. Jan. Retziæ, (Neo-Marchiæ oppido) patre *Martino Cramerio* istius loci Concionatore; matre *Gertrudi Crucigeriana*. hic anno 1598. d. 3. Jun, Doctor Theologiæ Wittebergæ creatus, Pastor post templi B. Mariæ, Gymnasiique Stetinensis Inspector salutatus est. duo iniit matrimonia: prius cum *Erdmunde*, *Jacobi Fabri S. Th. D. Orient. Pomeraniae Superint.* & Concionat. Auf. filia anno 1595. d. 15. Sept., ex qua 7. suscepit, liberos 4. filios, quos inter referendum M. J. Jac. Cramerus Gedanensis Ecclesiastes; & 3. filias; posterius cum *Elisabetha Bartholomævia* anno 1609. d. 16. Jan. quod mundo 9. dedit liberos, 3. filios, 6. filias. mortuus est d. 5. Oct. 1637. anno ætatis 69. dignus, qui a M. Sam. Theodoro Schmid in Diss. de Theologis in utero Deo consecratis Lips. 1707. habita classi eorum adnumeretur, qui in tenera ætate, vel adhuc in utero absconditi materno a parentibus Deo fuere dicati. Egregius fuit concionator & fidelis Dei servus, cuius notæ & observationes in Lectiones Biblicas, quibus inscriptio: *Summari the und Biblische Auslegungen, ob elegantes usus homiletis commendandæ, ut de iis candide judicat, ipsarumque defectum, quo laborabant, in specimine quodam Operis Biblici Practici emendavit & auxit Gottfr. Wegnerus.* Fata Crameriana describit L. Christ. Grossius in Conc. Funebri sequentibus: Es ist männiglich wissend, daß es wegen hohen Alters, und abgenützter Leibes und Gemüths Kräfte mit ihm dahin gedichen, daß er vom Jahre Dom. IX. p. Trin. sc. d. 24. Aug. das Evangelium nicht mehr ablesen können, sondern abbrechen müssen, gleichwohl aber durch eine schöne Predigt dasselbe expliciret, denen Zuhör-

Zuhörern ausgelegt, und damit gleichsam valedicirt, wie es denn auch seine letzte Predigt gewesen. Idem Grossius in Epist. dedicatoria hæc in laudem ejus refert. Nach zugestandner Schwachheit des Gesichts hat er oft gewünscht, daß der liebe Gote kommen möchte, und ihn hinweg nehmen, sonderlich weil er das Predigen und Lehren nicht mehr verrichten könnte, welches denn ihm als einen lebendigen und welchen der Müßiggang zur Last, sehr beschwerlich war. Multa reliquit scripta e. g. *disputationes 18. de principiis Logice Aristotelice partibus*; *Isagogen in metaphysicam Aristotelis*; *tract. de sublimi corporis beatorum spiritualis mysterio*; *nonnulla Polemica contra Eliam Hasenmüllerum, Beurhursum, Jac. Gretserum, Pelargum, Servatium*; *sanam de Prædestinatione doctrinam*; *scholas Propheticas*; *arborem heretice consanguinitatis*; *chronicon Pomeraniae*, ut cætera silentio præteream.

XI. JOHANNES DANIEL CRAMERUS. P. P. Hanoviensis, Excellens ævi sui historicus, cuius etiam studio celebris Historiographi *Georgii Hornii Historia Ecclesiastica* denuo cum Supplemento prodit.

Diversi ab utroque Cramero sunt sequentes 1.) ANDR. CRAMERUS, qui 1628. cum Evenio Magdeburgi magnas habuit turbas de Genere Theologiae: *an sit habitus*, teste B. Kromayero in Hist. Eccl. p. 649. ubi postmodum Academia Wittebergensis, Helmstadiensis & Lipsiensis responsis suis non exigua controversia huic dedere augmenta. 2.) MART. ZACH. CRAMERUS, decus olim Lipsia, J. U. D. Instit. P. P. & Acad. hujus Syndicus, natus d. 24. Dec. anno 1646. Northusæ, Patre *Magno Cramero*, Jurium apud Northusanos Practico famigeratissimo; Matre *Eva Magdalena*, ex stirpe, in Ducatu Luneburgico notissima, Antoniorum oriunda; obiit d. 13. Sept. 1679. 3.) M. FRID. CRAMERUS, Sedinensis Theologus longe meritissimus, ubi nota est controversia, quæ ipsum inter olim & C. F. Rango, nec non D. F. Fabricium ab una, atque ex altera parte J. E. Pfulium, tum quidem Theologum Gustrovensem, dein Neo-Brandenburgensem de usu Formulae: *Christus in nobis*, pro & contra movebatur, quamque prolixe satis delineat magnus nostra ætatis Theologus, D. J. Fechtius in diss. ad dictum Col. I. 27. anno 1705. habita p. n. sqq. 4.) MATTH. CRAMER, cuius nomine produxit *le vrai & uniquement parfait Dictionnaire Royal, Radical, Sinonimique, Phraseologique &c.* 5.) nec tacendus hic est TH. CRAMERUS, (falso scribitur Crammerus) Archiepiscopus Cantuariensis, natus ex stirpe nobili in Provincia Nottinghamensi anno

1489. d. 2. Jul. Patre ejusdem nominis. mortuus anno 1556. d. 1. Mart. ~~et~~.  
68. hic in biennio captivitatis sub Regina *Maria* contra Missæ Sacrifici-  
um, adorationem panis eucharistici, nonnulla scripsit & emendationes  
versionis Anglicanæ S. Scripturæ itemque epistles quasdam divulgavit,  
sibique aduersariū Steph. Gardinerum refutare proposuit, ast iussu Su-  
periorum impeditus.

XII. DANIEL, Jesuita, qui per specimen historiæ Franco-Gal-  
licæ, in quo de rebus *Chlodovi* ejusque liberorum agit, omne erudi-  
torum sibi conciliavit desiderium. quoniam vero utriusque parti & Pon-  
tificum & Galliæ Regum nimium videtur addictus, idcirco & histo-  
ria ipsius sine dubio pro diverso respectu erit conscripta, uti in ante-  
cessum jamjam monuere autores *des neuen Bücher Saals* P. I. p. 81.  
sq. 93r.

XIII. DANIEL SYRUS, unus e Secta Jacobitarum, qui Epito-  
men etiam Constitutionis Ecclesiæ Jacobitarum arabice ab *Abrahamo*  
post *Echellenſi* verso conscripsit, de quo *Ebed Jesu Catalogus scripto-  
rum* consulendus. Quæ secta originem suam debere *Jacobo* cuidam,  
cognomine *Zanzalo*, (qui hæresin *Theopaschitarum* & *Monophysitarum*  
per Syriam præcipue propagavit) vulgo creditur, hodieque per *Ægyptum*,  
*Abyssiniam*, Syriam totumque Orientem late diffunditur. *San-  
disius* in *Itinerario* suo sequentes Jacobitarum adnotat errores. 1.) *In  
hunc usque diem, inquit, negant, Christum verum Deum esse, verum-  
que hominem, naturas tamen ejus dividere non ausi, metu illius se di-  
vulsuros personam.* 2.) *infantes suos non nisi 40. dies adultos baptizant.*  
3.) *Psalmos Davidis plerunque canunt, una cum aliis ex V. & N. foedere  
locis.* 4.) *Eucharistiam sub utraque celebrant, infantibus etiam statim a  
baptismo eam porrigentes.* 5.) *Infantes ante baptismum signo crucis si-  
gnant, confessionem auricularem ignorant.* 6.) *uti mortuis inferias non  
faciunt, ita etiam purgatorium rejiciunt, credentes: animam cum corpo-  
re in sepulchro quiescere, ibique usque ad adventum Christi eo in statu  
permanere.* 7.) *Sacerdotes, quos habent, nubunt &c.* Peculiarem de Se-  
cta Jacobitarum anno 1685. d. 29. April. habuit Diff. M. Jo. Balth. Jacobi,  
Concionator add. Nicolai Sabbathicus, quæ pleniorē suppeditat no-  
titiam.

XIV. DANIELIS alias Syri, Bar Mariam dicti, meminit citatus

C

in



in proxime præcedentibus Ebed Jesu, d. I. eumque historiam Ecclesiasticam 4. tomis & Chronicon edidisse, refert.

XV. DANIEL, Episcopus Vintoniæ, urbis Angliæ, qui tempore Bedæ, Sec. VIII. ibidem vixit, annisque 42. de ecclesia bene meritus, anno 746. mortuus, cuius Scripta nostro in primis ævo obvia sunt sequentia. 1.) Tractatus de rebus gestis Saxonum Australium. 2.) Historia suæ Provincie. 3.) Insula Verbi. 4.) Vita S. Cetæ Episcopi, quæ citantur e Balæo & Pitseo de Scriptoribus Angliæ.

XVI. DANIEL ECKLIN, Aroviensis, artis Pharmaceuticæ Studiosus, qui anno 1551. orientem petens, subsequente fuit reversus. Divulgavit hic Francofurti ad Moenum apud Jo. SAUER anno 1609. lib. Reisebuch des heil. Landes, in quo Itineraria peregrinantum in Palæstinam, maximam partem in unum sunt collecta volumen, ubi P. I. p. 755. sequentia, de vestigiis Christi in monte Oliveti narrat. Auf den höchsten Gipfel des Delberges ist unser lieber Herr Jesus Christus gen Himmel gefahren, und siehet man die Wahrzeichen seiner Füße, wie Er gestanden. Den rechten siehet man viel scheimbahrer und heiterer als den linken.

XVII. DANIEL GALLAND, cuius singulares Christianismi notas, raramve in fide constantiam, quam in carcere & morte, (igne enim anno 1561. combustus dicitur) exhibuerit, pluribus deprædicat P. aut. Crocius in grossen Märtyrer-Buche, p. 1093.

Alienus ab hoc est PETRUS GALLAND, Primus Collegii Bonurianni Parisiensis & Canonicus, natus Aria; linguarum, studiorum humaniorum & Theologiae peritisimus, Francisci I. Regis gratia præ ceteris beatus, Praeceptor Turnchi, mortuus anno 1559. cuius acumen judicij spirant libri, 1.) ovatio de Francisci I. laudibus. 2.) Scriptores de agrorum limitibus, 3.) argumenta in Quinidianum, 4.) oratio pro Aristotle & Parienti Schola contra Ramum. Affinem Petrus suo tempore habuit WILHELMUM GALLANDUM, sumnum itidem Collegii modo dicti, mortuum anno 1612.

XVIII. DANIEL GRIEBNERUS. S. Theologiae Lic. & Ecclesiastes ad D. Nicolai facundissimus, prognatus Lipsia d. 31. Aug. 1645. Patre Zacharia Griebnero, D. Casp. Griebneri, Physici apud Chemnizenenses per XL. annos bene meriti filio & Senatore Lipsiensi; matre Sophia, J. Meyeri, magni nominis JCti, Consiliarii Electoralis, Jur. Fac. Senioris



oris & Reip. Lips. Proconsulis filia. Duplex iniit matrimonium; primum cum *Magdalena, Sibylla, Ant. Gunth. Bæschennii*, Consilarii Eleitoralis & Syndici Lipsiensis filia, anno 1671. d. 17. Oct. ex quo thoro progeniti *Daniel Conradus*, mature extinctus, *Daniel & Johanna Magdalena*; Alterum anno 1677. d. 14. Dec. cum *Rosina Elisabetha*, D. Mich. *Henr. Hornii* Archiatri Electoralis & Pathologiæ Professoris Publici filia, quod conjugium Lipsiæ iterum dedit 5. liberos, duas filias, *Rosinam Dorotheam & Sophiam Elisabetham*, & 3. filios, *Henricum Sigismundum*, vitam mox cum morte post mutantem, *Michaelem Henricum & Jo. Sigismundum*, mortuus anno 1685. mense Jan. ætatis 39. & quod excurrit.

XIX. DANIEL GUALTHERUS. Monachus Cisterciensis, mortuus Sec. XII. circa annum 1170. cuius opera posthuma 1.) de conceptione B. Mariae, 2.) de Virginitate ejusdem. 3.) de vera amicitia. De quo vid. *Piseus de Scriptoribus Angliae*, & *Carolus de Visth* in Bibliotheca Cisterciensi.

Notandus venit alias, sc. RUDOLPHUS GUALTHERUS, strenuus Hulde-  
rici Zwinglii defensor, cuius etiam prolixa apologia pro Zwinglio ejus-  
dem operibus P. I. est prefixa, uti observavit excellens Theologus hujus  
Philyreas, *Johann Gottlob PFETZNER*, LL. OO. & T. Prof. Extraord. vir  
& solidæ eruditioñis & probatae sinceritatis in Diss. de Convenientia &  
differentia virtutum naturalium & supernaturalium, Lips. 1708. d. 18. Febr. ha-  
bit. §. 15.

XX. ANDREAS DANIEL HABICHORST. S. Theol. D. &  
Prof. Rostoch. Consiliarius Consistorialis, Facultatis Theologicæ,  
totiusque Academiæ Rostochiensis Senior. natus *Buzovii* ad Varnum,  
(Coppidum 4. milliaribus Rostochio distans) Patre *Daniele Habichorſt*,  
Gustroviensi, qui primum sub Duce Friedlandia Wallensteinio trium-  
simul arcium, Bucoviensis scilicet, Redentinensis & Polensis Præfectorus,  
dehinc restitutis ducibus Mekelburgicis tantum Bucoviensis, inde Rhen-  
ensis, ulterius Graboviensis per octennium, mox Kribizensis, rur-  
sus Graboviensis, dein Furstenbergensis, tandem ab anno 1662. ad 1670.  
omnium Præfecturarum Ducatus, uti & Principatum Buzoviensis &  
Razeburgensis inspecto fuit, anno 1675. Suerini pie denatus. (hic ve-  
ro filius fuit *Melchioris Habichorſt*, Bardovicensis, advocate Gustrovi-  
ensis, ex nobili familia von Habichorſten prope Cellam Luneburgensi-  
um adhuc vigente; Matre *Agneta Grellin*, Wismariensi, *Hermannii*



Grellii, Senatoris Wismariensis filia. Summum in Philosophia gradu adeptus anno 1658 quem summi itidem tum Viri Dorscheus, Varenius reddidere illustriorem. Præ cæteris vero D. Rhanius, J. C. C. sequenti Anagrammate: *Habichtorstius*, *nā̄t cāvāyçapua*: Hortus hic stabit.

Artis honoros, hortus cluet Habichtorstius Hortus  
Hic stabit florens & decus orbis erit.

Anno 1672. Rostochii introductus a D. Aug. Varenio Professor Oratoria, cui officio sequenti 1673. accedebat conjugium cum *Elisabetha Barsenia, Georgii Barsenii*, J. U. D. filia. mortuus anno 1704. mense Augusto. Inter scripta maximum constituant numerum dissertationes ab ipso habita ferme innumeræ, præter quas edidit etiam 1) *Tractatum de Melchisedechi historia & figura* 2) *Wohlgegründete Bedenckschrift über die Zerstörung der sonderbahren Art hochteutsch zu schreiben und zu reden*. Hamb. 1685. 3) *Semi-Centuriam Anagrammatum ex Imperatoris Leopoldi nomine*. 4) *Formula Concordie breviarium* 1702. 5) *Dreystoßigen Stürmer des verführischen Jesu wiedrigen zweystoßigen Mauerbrechers Lutherischen Irrgeistes* 1702. 4. 6) *Rostochium Literatum*. Consilenda est de nostro Disputatio supra citata Schmidii de Theologis Deo in utero consecratis.

XXI. DANIEL HARTNACCIUS. Egregius ille Theologus & Historicus, cujus notæ in Historiam Georgii Hornii orbi literario haud ingratæ. In iisdem notis p. 398. promittit Tractatum de Monachis prope diem edendum, & p. 547. ibidem ipse se asserit edidisse historiam Synodi Dordracenæ e literis Jo. Hales & Waltheri Balcanqual, Legatorum Regis Angliæ in Dordracena &c. Tenzelius, Polyhistor & autor Colloquiorum Menstrualium ad annum 1689. pag. 241. seqq. Hartnaccii librum: *Erachten von Einrichtung der alten teutschen und neuen Europäischen Historien*. Zelle 1688. a capite ad calcem perquirit, judiciumque ibidem suum supponit. idem porro Tenzelius ad an. 1690. p. 625. id in primis in Hartnacco taxandum suadet, quod virum probæ indolis, fidei infusatæ, vitæque non culpandaæ, Speñerum Syncretistini cum Socinianis & Arminianis falso accusaverit, & quidem in libro: *der anweisende Bibliothecarius*, qui tamen, judice Tenzelio, levem sane spiret eruditio nem. Celebris Cancellarius & Prof. Primarius Tubingensis D. J. Wolffg.

Wolffg. Jäger in Diff. de Labadismo anno 1710. habita ipsi præ cæteris scriptoribus palmam tribuit, quod controversiam Jo. de Labadie Pontifici primo, post Reformati, (qui Genevam se conferens, ubi ejus & eruditio singularis & verborum pondus, & elocutionis gravitas omnes mirari fecit, dein in Belgium Fœderatorum abiit & Pastor Medioburgensis factus est) adcurate & prolixè descripsit. dubitans interim, an citata ibidem cuncta sint ipsius Labadie *Ψεῦδα*, istum contra Hartniaccium in nonnullis defendit, & excusat. Unicus præterea dicitur, qui historiam Ranterorum, Anglicæ Sectæ, obscurissimam, in continuazione historiæ Ecclesiastici *Micraelii* consignaverit, ex scriptis publicis de relatione J. Hollandi, qui anno 1651. istos homines auribus & oculis usurpaverit in Anglia.

XXII. DANIEL HEINRICI, Hæreditarius in Muglenz S. Th. D. & P. P. Cathedralis ingenuæ Misnensis Canonicus, Consistorii Ecclesiastici Assessor, Alumnorum Electoralium inspector & Academiæ decemvir, Facult. Theol. & Misn. Nat. Senior, natus *Chemnitii*, d. 5. April. 1515; Patrem habuit Matth. Heinrici, Senatorem & Mercatorem ejusdem oppidi; matrem *Annam ex Wildeccianorum* familia. Vota dedit prima Euphrosynæ Elisabethæ, D. Aegidii Strauchi filiæ, mortua vero & ista, secunda repetiuit cum *Catharina Dorothea Endekelleria* nata, quod ultimum conjungium tribus masculini sexus fulcris suffultum fuit. mortuus anno 1566, d. 15. April. Edita ab ipso habentur scripta 1.) *Tract. de Inspiratione verborum S. Scripturæ* Dresd. 1642. 12. 2.) *Comment. in Jer. XXXI, 22.* Lips. 1656. 4. 3.) *Synopsis doctrinæ de Messia ē solis V. T. libris apertissimè demonstratæ*, Lips. 1655. 4. 4.) *Christianus delineatus*, Lips. 1658. 4. 5.) *Christologia Orthodoxa*, Lips. 1647. 8. 6.) *de vita humana termino*, ibid. 1651. 4. 7.) *Lehre vom Leiden Christi*, Lips. 1644. 4. 8.) *Lucubrations contra Zwinglium*, Lips. 1662. 4. variaeque variis argumenti dissertationes.

Dantur & alii hoc nomine clari; inter quos 1) NIVARDUS HEINRICI, Praepositus Engelthalensis, qui *Claudi Chalemontii* seriem Sanctorum, beatorum ac illustrium virorum O.C. ex Latina lingua in suam Colon. 1686. 4. edit. translatisse dicitur a Jo. Andrea Schmidio, Abbe Mariævallenensi in Tractatu: Notitia Ordinis Cisterciensis, Helmst. 1711. edit. 2) THOMAS HEINRICI, qui a nonnullis dicitur Basileensis Vicarius & Decanus; ab aliis Friburgensis, Jesuita, cuius imprimis nota est A. C. anatomia & Irenicon Catholicum, re-

futatus a B. Dannhauero in Hyæna Freiburgica ab ovili Christi depulsa, Mer-  
none Hanneckenio, Deutschmanno, Iſ. Frareifenio, Theologo Argentoratensi  
in Face Catholica veritatis pro invenienda in his terris militante Ecclesia, Th.  
Henrico ejusque complicibus Pontificiis accensa; B. Dorscheo in Pentade-  
cad. diſſert, p. m. 195. 199. 3) HENRICI, hæreticus ille, qui initio Sec. XII.  
Cenomanensi (Mans dicta) Pædobaptismum statuendo inutilem; templa  
deſtruenda potius, quam ſtruenda; ſanctos nec colendos nec invocandos;  
hymnos ſacros in templis nullos canendos; crucifixa quævis frangenda, ma-  
gnas fecit controveſiaſ lites, ab Hildeberto Episcopo t. t. illius loci, post Turo-  
nenſi Archiepiscopo & cæteri Clericis excommunicatus, miſſusq; in exilium.

**XXIII. DAN. EL HEINSIUS, S. Marci Eques, Politices & Histo-**  
riarum Professor, natus Gandavi anno 1580, mense Majo, Patre Nicolao  
Heinsio, Consule Gerardimontano; Matre Elisabetha Navegeria. hic  
Hagæ Comitis prima literarum didicit rudimenta, anno vero ætatis XIV.  
Teſterioribus a parentibꝫ destinatus ſtudiis, Franecqueram Friborum miſ-  
ſus, hinc Lugdunum migrans, duce ibidem Josepho Scaligero ſcientiam  
Græca lingvæ mirabiliter adauxit, quem ingenii sagacitate & prudentia  
cepit adeò, ut morti propinquus ſe neminem æque amaffe ac Danielem  
Heinsium filium ſuum dixerit, iþipsumque integræ ſuæ hæredem Biblio-  
thecæ elegerit Scaliger. anno ætatis XIX. publice Lugduni primum  
Latinos, dein Græcos interpretatus eſt autores, ultimoque Politices & Hi-  
ſtoriarum Professionem fuſcepit, queis & Secretarii Acad. & Biblioth-  
ecarii munus accessit, anno XXX. ætatis circiter & quinto Ermigardin  
Rutgersiam, Jani Rutgersi, Viri legationibus ad omnes fere Europæ prin-  
cipes illuſtris, Gustavi denique ſuecorum Regis ad Foederatos proceres  
Oratoris, ſororem unicam in matrimonium ſumſit; ex qua duplīcē  
genuit prolem, Virum Nobilissimum Nic. Heinsium, ingenio & eruditio-  
ne clarum, Foederatorum Procerum in regno Sveciæ Oratorem; & Eli-  
ſabetham filiam, Gwil. Gwſio, Curiæ Hollandiæ, Zelandiæ, Westfrisiaq; Se-  
natori postmodum nuptam. mortutis d. 25. Febr. 1655. Multos con-  
ſcripsit libros, quos inter Crepundia Siliana, ſ. nota in Siliū Italicū,  
Poëmatā, orationes; libri 4. de contemptu mortis; Ariftarchus ſacer ſ. Ex-  
ercitationes ad Nonni Paraphrasin; historia rerum ad Sylvam Ducis geſtar-  
rum; Panegyricus Gustavo Adolpho dictus; Exercitationes Sacrae; Hefiodus;  
Theocritus; Horatius; Terentius; Ovidius cum notis; Satyra Menippæa, &c.  
Vi-

Vivus equidem non Belgis tantum ob singularem eruditionem, sed exteris etiam visus est immortalis, mortuo vero ipso memoria simul moriebatur, sicque multorum postmodum incurrit censuram, e quibus unicum allegasse sufficiat *Jac. Frid. Reimannum*, qui in libro: *Versuch einer Einleitung in die historiam literariam Halæ 1708.* edit. nostrum potui, donec in vivis erat, nimis fuisse deditum, asserere non erubuit. alii nimium herbae Nicotianae usum in ipso taxant. sunt, qui istum talem asserunt potatorem, ut pridie diei lethalis proprium nesciverit nomen. Variis Heinsius nos ter in scriptis oppugnavit *Claudium Salmasium, Gallum, Philologum in Acad. Lugg. Bat.* in quo annotante *Andrea Carolo Abbate San-Georgiano in Ducatu Wurtenbergico*, (qui natus anno 1632, denatus 1696) in Memorabilibus suis, errores Salmasii de Brutorum ratione & Praecepto Apostolico de non comedendo sanguine & suffocato adhuc tenendo, ut & Stylo Scripturae Sacrae barbaro fusius refutavit.

Huic contradistinguitur Prænomine SIMON HEINSTIUS apud Wittebergenenses Evangelli primus prece, à D. Chytreo dictus BENCKIUS, natus ibidem patre *Georgio Heinfo*, Pontanus qui virgo appellabatur, pariterque postmodum Ecclesiastes ordinatus primarius mortuus tandem anno 1522, cui in Pastoratus successit *D. J. Eugenagius*, Pomeranus.

XXIV. DANIEL HOFFMANN, Superint. & Prof. Helmst. *Halæ 1538. natus, mortuus anno 1611. Catechist.* In lucem hic prodidit 1) *questiones & responsiones in gravissima controversia de S. Cana.* 2) *Apologetiam missam ad Theod. Beza*, cum quo varias habuit lites. 3) *Responsionem & rationes ad Christophori Pezelii signa.* 4) *XVII. errores Jac. Andreae crassiores.* 5) *Usum & applicationem notionum Logicarum ad res Theologicas.* 6) *Librum Apologeticum respondentem chartis Ministrorum Ecclesie Bremensis.* 7) *Officinam Locorum Theologicorum.* 8) *Explicationem sententia in Epistola Canonica Johannis Apostoli.* Rigidus alias aliorum factorum censor, uti Hutteri in Conc. Concord. p. 1341. audit. Inclaruit circa finem Sec. XVI. Schillingii Magdeburgensis insitens vestigiis publice defendit: *illud in Philosophia falsum, quod in Theologia verum,* erroris autem sui a D. Alb. Gravero evictus huic anno 1601. nuncium misit, culpamque fassus, linguam mentemque mutavit. docuit præterea una cum *Christophoro Joachimo Buchholz, JCto Rintelen-* si:

si: *Juri divino ac naturali minime adversari nuptias sororis uxoris defuncte*, de quo conf. Ziegler. ad Gratian. p. 281. Hartnacius saepius adductus de eo, ut & D. Tilemanno Hesbusio Theologo ipsiusque collega in Acad. Julia refert: illos aegre ferentes, quod non adhibiti fuerint ad Formula Concordiae conferribendam, in Ecclesia ingentes excitasse turbas, ducesque Brunsvicensium & Luneburgensium eo commovisse, ut a Formula Concordiae, cui jamjam nomen subscripterant, desciscentes, peculiare corpus doctrinae, quod Julianum dictum, suis in ditionibus Formulae eidem substituere jusserint.

Dantur plures Hoffmanni celebres, quos inter CASP. HOFFMANN, Med. D. & P. P. Altdorff. natus Gothæ 1572. mortuus anno 1648. varias edidit lectio-nes libris 6. it. comment. de thorace tripartitum, it. comment. in Galenum de usu partium corporis humani, it. lib. de generatione hominis, it. Patho-logicam parvam, it. institutiones medicas 2) vixerunt, ni fallor, Hale duo FRIDERICI HOFFMANNI de arte Medica praeclare meriti, quorum alter Augusti Saxonis, Archiepiscopi Magdeburgensis Archiater, urbisque Polia-ter anno 1695. d. 21. Mart. mortuus, de quo vid. Witte T. 1. Diar. Biogr. ad an-num 1675. & Beughemius in Bibliogr. Med. p. 128. scqq. alter Prof. Med. in A-cad. Primarius; ex illa vero in aulam Regis Prussiae Berolinensem ad Consi-liarii, atque Archiatri evocatus dignitates. 3) GOTTFRIED HOFFMANN, Rector Lycæ olim Laubanensis, post in B. Christiani Weissi locum evocatus ante aliquot hebdomadas fatis cesit, vir alioquin de re literaria & juventute studiofa mefitissimus, id quod & scripta erudita, & totius Auditorii reliqui lu-ctus evidentissime confirmant. 4) MATTH. HOFFMANN, Machoero-pœus dictus, primus apud Suidniciensium in Silesia Conf. Aug. addic-torum ad S. S. Trinitatis ædem Pastor Primarius & Inspector; auctor libri inscrip-ti: Chronotaxis Apocalyptic Jen. 1668. editi, in quo Chiliasmœ favisse di-citur a Petersenio. Quid vero de hoc libro judicandum, ostendit B. Jo. Ben. Carpzovius, lumen olim Lipsiæ, totiusque Saxoniar. in Programmate in Pro-motionem 7. Licentiandorum Theologie an. 1698. conscripto. 5) MELCH. HOFFMANN, Anabaptistarum Patriarcha in Hollsatia & Batavia, natione Svevus, qui circa annum 1528. Argentorati Anabaptismum disseminavit, tan-demque Embdam transtulit. instituens vero anno 1532. cum Theologis istius loci colloquium, misere post anno 1533. in carcere periit. docuit: Chri-stum carnem non assumisse humanam, unamq; non duas habuisse naturas: homines vi liberi arbitrii, ejusque legitimo usu sibi met ipsi & salutem & i-gnem æternum posse comparare. Pædobaptismi originem a Dei potius ho-minum-

minimque hoste diabolo, quam a Deo ipso esse deducendam. Argentoratum vocavit das neue Jerusalem, ibique regnum Christi instituere voluit novum, à discipulis Elias ante diem extremum mittendus habitus. hic probe fecerñendus est à 6) MELCHIORE HOFFMANNO, Med. D. & P. P. Fac. Seniore Altdorffino. natus hic Gothæ Thuringorum an. 1572. d. 9. Nov. Patre Jo. Hoffmanno, cive Gothano ; Matre Anna Leuffera. mortuus d. 3. Nov. 1648. 7) PAUL HOFFMANN, S. Th. Ministerii Thorunensis Evangelici Senior & ad D. Mariæ Pastor, natus Wratislavia an. 1630. d. 31. Oct. Patre Paul Hoffmann, cive Urbis Primario, ac Tribuno ; matre Magdalena Mayeriana. vocatus primo Jo. Georgi III. Elect. Saxoniae ad matrimonium cum Potentissimi Regis Daniæ filia consummandum in Daniam proficiscentis Confessionarius. ex Dania redux Torgæ Superintendentem per XV. annos egit, ubi & matrimonia habuit, prius cum Margaretha Frisi Civis Dressdensis filia, ex qua filium genuit Paulum, Medicinæ Doctorem, posterius cum Johanna Susanna, Abrahami Birnbaumii, Archiatri Electoralis filia, cuius conjugii fructus octo fuerunt liberi. factæ a Thorunensibus invitationi anno 1682. ad obeundum Ecclesiae Senioris, Gymnasique Rectoris munus lubenter annuens, Thorunum se contulit, ibique d. 18. Mart. 1704. vitam finiit.

XXV. PETRUS DANIEL HUETIUS, qui circa finem Seculi superioris variis inclaruit scriptis eruditis, in quibus tamen multa, quæ censuram merentur. Is primo fuit Abbas Alnetanus, dein Episcopus Sueffoniensis, post Episcopus Abrincensis. Delphini cum erat Informator, multos in usum istius (Delphini) edidit autores Clasicos. Scripta, in quibus potissimum animi pruritum ostendit, fuere. 1.) *Demonstratio Evangelica*, s. liber de veritate Religionis Christianæ & fide Scriptorum S. Parif. 1679. fol. 2.) *Quæstiones Alnetanae*, s. de concordia rationis & fidei. L. III. Cadomi 1690. recusæ Lips. 1692. 3.) *Origeniana Rotomagi* anno 1678. In demonstratione Evangelica, ut & in quæstionibus Alnetanis operam dedit Huetius, ut Theologiam Christianorum informam justæ artis, per continuas Geometricas demonstrationes digestas adornaret; ut sc. præmissis necessariis definitionibus ac postulatis & indubitis axiomatibus capita christianæ Religionis ad salutem necessaria sufficientia, & veluti adæquata ad modum propositionum Mathematicarum demonstrentur. Institutum Huetianum in peculiari epistola, quam Auctores Actorum Eruditorum Lips. T. II. Suppl. De-

D

cenn.



cenn. II. p. 98. exhibent, summopere commendavit *Sam. Pufendorffus* optavitque ut illa methodo Geometrica totum Systema Religionis Christianæ, tamquam medium dissidiorum tollendorum optimum conficeretur. at vero quam maxime fallatur Pufendorffius, satis superque ipsement ostendit Huetius, qui certe demonstrationes non adeo perspicuas adducit, saepque fallitur, atque infirmitate laborat. Qua de re conf. *Magnif. Fectii* Thesum Polemicarum Thesis V. accedit & hoc, quod methodus illa Geometrica in malam etiam partem ab Atheis adhibeat, quod vel ex solo *Ben. Spinoza*, Deum modo Geometrico demonstrantis, liquet exemplo. Edidit præterea Tractatum *de Situ Paradisi terrestris*; de quo vid. Tenzelius in Coll. Menstr. anno 1694. p. 393. sqq. & Comment. *de Navigationibus Salomonis*, cuius contenta recenset Tenzelius ibidem ad annum 1698. p. 763. sqq. Carmina ipsius quinta vice in 12. Parisis edita sunt longe correctiora.

**XXVI.** DANIEL ERNESTUS JABLONSKY, D. & h. t. Supremus Concionator Aulicus Regiæ Majestatis Prussicæ, qui Societatis Scientiarum Regiæ Berolinensis, (quæ an. 1700. fundata, d. 9. Jan. 1711. a Rege solennissime inaugurata 4. constat Collegiis, quorum primum Medicinam, Physicam; alterum Mathesin; tertium linguæ Vernaculae emendationem, historiamque Patriæ Sacram & Profanam; quartum denique linguas, resque tractat literarias) ordinario Præside *Gottfr. Wilb. de Leibniz*, Consiliario Regis Prussicæ Electorisque Brunsvicensium, absente, Vice-Præses est constitutus. nostrum Jablonsky Biblia Ebraica reddunt immortalem, de quibus Exc. Hebræus *Opitius* ipse fatetur, quod tanta hic liber cura sit compositus & diligentia, quæ suis unice bibliis palmam præcipere valeat.

**XXVII.** DANIEL CASPAR LOHENSTEIN, Poëta Germaniæ celeberrimus, natus in urbe Silesiæ *Nimptsch* dicta anno 1635. d. 25. Jan. Patre *J. Caspari*, Senatore urbis istius & Vectigalium Præposito. septennis Gymnasii Wratislaviensis ad Mariæ Magdalena alumnus factus, novem ibi annis frequentavit, nec levia singularis ingenii illic edidit specimen. Cujus rei testes sunt 3. Tragœdiæ. *Ibrahim Baffa*, *Agrippina* & *Epipharis* anno XV. ab ipso conscriptæ. mortuus anno aetatis 49. A. C. 1683, d. 27. Apr. vivus vero colitur in libro, cui titulus *Arminius*.

**XXVIII.**



XXVIII. JOHANN DANIEL MAJOR, Medicus Kiloniensis & Antiquarius Excellens, quem scripta summo judicii acumine conscripta reddunt immortalem, quorum primarium est: das bevoererte Cim-brien in quo Jo. Mollerum, Flensb. Scholae Rectorem acriter impugnavit, quod in prima parte Isagogen contra Rudbeckium Cimbros priscos non Suecorum Kimi, sed Holsatiae fuisse incolas, defendere non veritus sit, cui vero citatus Mollerus in Praefatione Nova ad Isagogen pag. 13. ex affe respondit. Edidit Major praeterea: unvorgreiffli. Bedencken von Kunst- und Naturalien-Rämmern. Kilon. 1674. fol. it. Epistolam de nummis, Græce inscriptis, it. genium errantium.

Discernendi ab hoc veniunt 1) GEORGIUS MAJOR, D. Th. natus Noribergæ, d. 25. April 1502, mortuus an. 1574. d. 28. Nov. anno ætatis 73. per triennium ferme valetudinarius. Scripta ipsius 3. tomis edita, quorum α) comment. in epist. Pauli; β) conciones in epistolas dominicas & festivas; γ) conciones in Evangelia omnia comprehendit. edidit præterea Catalogum Doctorum Ecclesiæ ab initio mundi ad sua tempora, it. Polemica in quæstione de necessitate bonorum operum. 2) JO. MAJOR, Scotus, Sec. XVI. celebris, mortuus an. 1531 autor est historiæ magnæ Britanniaæ 6. Tomis inclusæ, it. comment. super Magistrum Sententiarum, scripsitque Sophisticalia Parisiensia, Placita Theologica, historiamque Caxtoni transtulit Latine. 3) JO. MAJOR, S. Th. D. ejusdemque ad annos 43. P. P., Academiæ Jenensis Senior, Ecclesiæque ad annos 49. Pastor ac Superint., natus Reinstadii, pago Thuringiæ, sub Orlamundana diccesi, d. 26. Dec. an. 1564. Patre Jo. Groß, Matre Margaretha Alckermannin. mortuus d. 4. Jan. 1564. et. 90. Libri ab ipso conscripti sunt. 1) Theologus & Concionator Orthodoxus. 2) Judicium A-catholicorum credenda regula. 5) Speculum exemplorum. 4) exegesis verborum Christi valedictoriorum, 3) Paraphrasis Poëtica in Psalmos. 6) Postilla Poëtica. 7) diaconesis de vasis iræ & misericordiæ, honoris & ignominiae Calvinianis opposita, diversæque disputationes habitæ. In conjugio vixit gemino. Prior ipsi fuit uxor Virgo Maria, Ludovici Kopfii, Senatoris Jenensis filia, quam an. 1592, d. 25. Sept. duxit, matrem 6. filiorum & unius filie; posterior Elisabetha Schröteria, Jac. Schröteri, Vinariensis Consulis filia, J. Stomeri J. U. D. & Comitatus Hohensteinensis Cancellarii, Conſiliarique Brunsvicensis vidua, relicta, ex qua suscepit 3. filios, duasque filias, quorum liberorum nullus inter vivos, præter 4) JO. TOBIAM MAOREM, S. Th. D. & P. P. natum an. 1615. d. 2. Febr. qui Licentiatus anno 1643. mense Julio in Academia Leucorea, & anno 1646. Doctor ibidem creatus, mor-tuus

trus anno 1655. mense Aprili. Scripta, quæ eruditis reliquit, sunt 1) Praxis Apostolorum Partes III. 2) de natura & cultu angelorum exercitatio facta collatione Theologica Paganorum, Judæorum, Muhammadanorum & Christianorum. 3) Diss. II. de potestate clavium. 4) Apologeticus pro parente adversus Valerium Magnum. 5) de oratione pro defunctis contra Hugoem Grotium. 6) Commentationes in Epistolam ad Ebræos. 7) Exegemata locorum difficultiorum Scripturæ S. 8) Exercitatio de Sedibus Episcoporum primariis in Veteri Ecclesia.

**XXIX. DANIEL MICHAELIS**, Theologus Gryphiusvaldensis, scriptor Syncretisticus, cuius asserti testis est liber: Religions-Puncte zwischen den Lutherischen und Calvinischen. Rostoch. 1643. 12. editus.

Sejungendi probe sunt 1) GREGORIUS MICHAELIS, natus Rostochii; Patre Christiano Michaelis, Superint. ejusdem urbis. fuit primo Pastor Esgrusensis, post Flensburgensis, tandem in Comitatu Oldenburgico & Delmenhorstiano Superintendentens. mortuus anno 1686, ætatis 61. edidit 1) Syntagma de exiliis & amuletis, 2) notas aut Chronicon auctoris incerti Danicum. 3) Tractatum de Latronibus cum Christo crucifixis & Juda proditore. 4) notas in Jac. Gaffarelli, (qui natus anno 1602. mortuus 1681. Th. D. & Juris Canonici Canonicus, it. Protonotarius Apostolicus, Regi Galliae a Confiliis & Eleemosynis, prior Commendatarius S. Ægydi, denique Decanus Facultatis Juris Canonici Parisiensis, Prior Conventus Brousiensis in Diocesi Sisterbiensi, f. Bernhardinorum & Commendator S. Aumeli & Bibliothecarius Cardinalis Richelii, Polyhistor celeberrimus) librum, cui titulus: Curiositas inaudita, latine vertit. 2) J. MICHAELIS, S. Th. Doct. Prof. Consil. Gryphius. Assessor & ad D. Jacobi ibid. Pastor, natus anno 1612, Stralsundi, Patre Petro Michaelis, cive & mercatore istius urbis; matre Maria Schelen. mortuus d. II. Mart. 1674. 3) J. H. MICHAELIS, autor Grammaticæ Ebraicæ sub ipsius nomine editæ, quam maximam partem, ut ipse confessus, ex Domini van der Hardt fundamentis & Paradigmate Ebr. Linguae concinnavit, tironibus ob perspicuitatem, erdo licet quibusdam in locis desideretur, commendanda.

**XXX. DANIEL GUILIELMUS MOLLER**. natus Posenie an. 1642. Patre Ottone Moller, Aurifabro, longo itinere reversus Professor Historiarum & Metaphysices Altdorffianam vocatus, cuius uxor altera Helena Sibylla Wagenfeldia, Christophori filia. Symbolum ipsius sterilitatem indicat conjugii.

*Qui nulli debet, fortunatissimus hic est,  
Proximus huic cœlebs, Tertius Orbus erit.*

Cur-

Curriculum vitæ Mollerianæ pluribus describunt Autores Novæ Bibliothecæ, Decad. I. p. 889. seqq.

Differunt a nostro 1) JO. MOLLERUS, Rector Scholæ Flensburgensis. natus ibidem d. 27. Febr. 1661. cuius scripta sunt a) *Prodromus Cimbriæ literatæ Epistolicus ad Marquardum Gudium*. Slesvic. 1687. 4. cuius contenta recenset Exc. Morhof. in Polyh. P. I. p. 208. b) *Isagoge ad historiam Chersonesi Cimbriæ quadripartita*. Pars I. Hamburgi 1691. Pars II. III. IV. Lips. 1692. 8. c) *Homonymoscopia*, s. Tractatus Philologico-historicus de Scriptoribus homonymis, Hamb. 1697. 8. d) *Bibliotheca Septentrionis erudita* Hamb. 1699. 8. e) *diatriba de Helmoldo ejusque Chronico Slavorum*. Lübec. 1702. 4. Illustravit denique Polyhistorem Morhofii. Lübecæ 1708. 4. editum. Is tamen probe disjungendus a 2) JO. MOLLETO, Witteberga primo Luneburgum, post Hamburgum ad Aedes S. Petri vocatus, insignis homileta, cuius scripta omnibus quidem, illi vero, cui labilis memoria, dicuntur commendanda, 3) hononymus est JO. GOTTLIEB MOLLER, S. Th. D. Prof. Græcæ lingua Rostochiensis, in Athenæo vero Gedanensi Philosophiae Primæ & Practicæ Prof. Publ. Ordinarius & Bibliothecarius. is lucem d. 4. Jan. 1670. s. n. adspexit. Patre *Salomone Mollero*, primum ad Aed. S. Trin. ibidem Symmysta, postea ad S. Joannis Pastore; Matre *Anna Keningia*. mortuus 1698. edidit Pauli Sarpii & I. Casauboni Epistolas Rostoch. 1694. 2) Jo. Henr. Bœcleri historiam universalem ibid. 1695. 3) *Manuale Homileticum Synopticum* ibid. 1696. 4) *Mart. Chemnitii succinctas theses in plerosque locos Theologicos*, ibid. 1697. 5) idem Logica Schelguigiana. Gedani 1697. & quamplurimas Dissertationes.

XXXI. DANIEL GEORGIIUS MORHOFF. natus Wismarie d. 6. Febr. 1639. Patre *Joach. Morhofio*, Secretario istius loci judiciali. Danieli primo Professio Poeseos Rostoch. post vero Professio Eloquentiæ Kiloniæ collata est, mortuus d. 30. Jul. 1691. Lübecæ, an. ætatis 52. non 58. uti in delineatione ipsius vita Morhofianæ falso monuisse videntur autores libri: *Bericht von neuen Büchern*, p. 8. seqq. Vir de cætero eruditione plurimis superior, nemini impar. quantus enim fuerit Polyhistor, testatur liber eodem insignitus nomine. venduntur ipsius 1) *Epigrammatum Centuria*. 2) *Miscellanea Poetica*, 3) *Epigrammata selecta*. 4) *Venerum & Funerum liber*. 5) *dissertationes varii argumenti*. 6) *Unterricht von der Deutschen Sprache*. 7) *Deutsche Gedichte*. 8) *Stentor* *μαλοκάστης*.

-**XXXII. D. DANIEL MULLERUS.** S. Th. D. Lipsiensis, Archidiaco-nus ad D. Nicolai & Ministerii Ecclesiastici Senior Variscus, Patre Petro Mullero, Pastore Schœnbachii pagi & Ephoriæ Græciensis Adjuncto; Ma-tre *Regina*, Barthol. Straudii, districtus Plaviensis Præfeti filia natus d. 21. Oct. 1612. mortuus d. 13. Mart. 1686.

Mulleri dantur plures. quorūm referendus 1) ANDR. MULLERUS , celebris sūi avi Philologus *Greiffenbachius* ad differentiam aliorum ejusdem nominis dictus a Patria, Pomeranus, natus anno 1630. Präpositus Berolinensis ulterius esse dum recusaret, Stetinum reversus, ibidemque mortuus d. 26. Oct. anno 1694. de quo vid. Starkius in ipsius vita; Leibnizius in Præfat. Noviss. Sinic. Job. Ludolfus in Epist. ad Christoph. Arnold. 2) HENR. MULLER. natus Lubecæ 1631. Archid. primo Rostoch. post Pastor & Superint. Hamb., tandem Lubecensis Superint. mortuus anno 1671. dicitur Henricus noster in Postillis suis usum verbi & Sacramentorum more Weigelianorum impugnasse, vocando scilicet Sacra menta cum Verbo idola, castigatusque ea propter a D. Jo. Mullero Hamburgensi, quem tamen post plurimi purgaram Theologi, de quo vid. Appendix libri *Ergoīcē-Stunden.* 3) J. MULLE-RUS, S. Th. D. Ministerii Venerandi Hamburgensis Senior, ibidemque Ecclesiæ S. Petri & Pauli Pastor, ut & Scholarum Inspector. Theologus *ęgadęzator*, isque cum foetibus Theologicis aliis, tum illis maxime, quos pro Lutherio & contra Judæos Quackerosque edidit, quaquavorumsum celeberrimus. natus *Wratislavia*, d. 6. (aliis 16) Jun. 1598. Patre *Casparo Mullero*; Matre *Agatha Blumendorffia*. vocatus primo Luneburgum an. 1624. post 1626. Hamburgum in locum *Val. Vudriani Pastoris*, annoque XLI. d. 12. Oct. S. Th. D. Witebergæ renunciatus. mortuus anno 1672. atatis LXXIV. (aliis 1673. atatis 75.) edidit Prodromum Anti-Jansenii; Anti-Jansenium; brevem admonitionem de Nic. Jansenii ruditate; anabaptismum; Lutherum defensum; defensionem Lutheri defensi; Quäcker-Greuel, und Quäkerey; Atheismum devictum, &c. 4) J. JOACH. MULLER, Secretarius & Archivarius Weimariensis, clarus ob varia scripta eruditæ concepta, in primis ob vitam Ducis de Marleborough. 5) MICH. MULLER. D. & Prof. Theologiae Tübingensis & Cancellarius. natus d. 17. Oct. 1639. Campiduni Suevorum: Patre *Casparo Mullero*, cive; Matre *Leonardi Bocci*, istius loci filia. mortuus d. 26. April. 1702. 6) PHIL. MULLER, D. Präpositus & Prælatus ad B. Virg. Magdeburg. Serenissimorumque Saxonie Ducum Consiliarius, in Sacris Primarius.

XXXIII. DANIEL de NESSEL, Consiliarius & Bibliothecari-

us Cæsareus, Ulzenensis Luneburgicus, a Patre genitus *Martino Nesselio*, a Divo Leopoldo post nobilitatus, mortuus anno 1700. notus ob *Supplementum Commentariorum Lambecianorum & Prodromum historiae Pacificatoriaæ*, quorum prior Tractatus a Cl. Tenzelio in Coll. Menstr. ad annum 1690 p. 938. sqq. posterior vero ab eodem auctore ad annum 1691. p. 205 sqq. breviter recensetur.

XXXIV. MAGNUS DANIEL OMEISIUS, natus Noribergæ, anno 1646. d. 6. Sept. Patre *Joh. Henrico*, Seniore ad S. Sebaldi; Matre *Gertrude, Jo. Sauberti*, Sen. (qui Concionator erat ibidem & Bibliothetrius anno 1663. mortuus) filia; Professor primo literarum elegantiorum Aldorffensium, postmodum Philosophiae Moralis, dein anno 1691. Comes Palatinus a Divo Leopoldo creatus & brevi post Præses Ordinis Pognizensis electus; tandemque anno 1699. Poëeos factus Professor deum anno 1708. d. 22. Nov. ætatis 63. obiit. cuius vitam, fata & facta *Eckardus Reisch* in Juvenci historia Evangelica Francof. & Lipf. 1710. edita fusijs recenset.

XXXV. DANIEL REICHARD Pirnæ ex Consule Patre genitus, primo Diaconus Dohnæ hinc Pastor Wachensis, porro Diaconus S. Crucis Dresdensis, post 1615. Rochlizium vocatus Superintendens per septennium ibidem moratus, in Patriam abiit, eodem ibi per 30. annos munere fungens. mortuus tandem anno 1652. & ætatis 52. quæ omnia de eo refert D. *Ge. Henr. Goetzius* in supra laudata Epistola de eruditis Dresdensibus p. 147. sqq.

Diversus a nostro est Fanaticus, GE. REICHARDUS, Ludimagister Sechusanus, in pago prope Lipsiam, qui varias anno 1640. Germanice edidit revelationes, in quibus præ ceteris se Trinitatem Deitatis tres colligentem virgas (ad puniendum forsitan aevi impios) vidisse somniavit, Papamque *Urbanum VIII.* meretricem esse Babyloniam, ultimumque omnium Pontificem prophetavit.

XXXVI. DANIEL SCHNEIDERUS, Pastor Laubachensis, notus ex libro: *Unparthenische Prüfung des Casp. Schwenckfelds und gründliche Vertheidigung der Augspurg. Confession, auch der Lehre Lutheri wider die Beschuldigung Cap. Schwenckfelds.* De quo scripto Exc. Val. Ernst. Loescheri judicium in Diss. de Schwenckfeldismo in Pietismo renato Witt. 1708. habita hic superaddere e re esse arbitror.

notes

Non mearum, scribit, est partium, librum istum perevensere, ejusque partes ad vivum resecare. In quo ut occurunt quedam bone frugis, ita non desunt, que silentio pratermitti plane non possunt. Pingit ille non raro variis coloribus hypotheses Schwenckfeldii, si se adeo extenuat, ut Apologetam ejusdem eum esse crederes.

XXXVII. DANIEL SCHWARTZ. Autor libri: Glaubens Lehre des Evangelii Norimb. 4. editi, quod scriptum ex parte laudatur, catholica vero desiderantur.

XXXVIII. DANIEL SCHWENTER, LL. OO. & Mathematicum in Altdorfina Acad. P. P. natus Noribergae, d. 31. Jan. 1585. Patre Joanne, Viro Spectatissimo, numerosiorisque, ut vocant, ibi Senatus Adjuncto; Matre vero Barbara Koleriana. Duplex noster habuit conjugium: prius cum virgine Magdalena, Casp. Fischeri, civis Noriberg. filia, XI. liberorum matre; alterum cum Maria, Ge. Gruberi, majoris Senatoris Noribergensis Assessoris filia, quadruplici prole maritum beante. hic musis domi totos dies juvenis impertitus, tandem Sultzachium, nobile tum temporis bonarum artium emporium a parentibus ablegatus, post Altdorfium missus, ubi tantos brevi tempore studiorum fecit progressus, ut anno 1608. ab incluto Senatu Noribergensi ad publicam s. linguæ professionem solenniter evocatus sit. Matheseos porro anno 1628. auctus professione & paulo ante in Ebraica, Chaldaica, Syriaca lingua rite proclamatus poëta. is non solum has modo dictas docere publice valebat linguas, sed & Syriacæ pariter & Arabicæ Rabbinicæ, Cabballisticæ & denique Æthiopicæ non leviter tinctus scientia. Immo Astronomiam, Geometriam, Geodesiam, Opticam, Arithmeticam, artem fortificatoriam, Pyrobolicam discessu suo anno 1636. d. 19. Jan. ætatis 50. facto noster, qui domesticis Preceptor, exteris Doctor, omnibus charus, abstulisse dicitur, cuius adhuc hodie scripta decenter colimus sequentia. 1.) Manipulum linguæ Sanctæ, Norib. 1618. in 8. 2.) Geometriam Practicam, ibid. 1624. in 4. 3.) Steganologiam ibid. in 8. 4.) Delicias Physico-Mathematicas. ibid. 1636. in 4.

XXXIX DANIEL SEVERINUS SCULPTETUS. Hamburgensis, accuratus (uti J. Fr. Buddeo in Diss. de Clemente Romano Jen.

1705. habita, audit) *Jacobi Benigni Bosueti* Episcopi Condomensis, post Meldensis, variis scriptis unionem inter Protestantes tentantis atque Pontificios, censor.

Non confundendus cum 1.) ABRAHAMO SCULTETO, Theologo & Pastore Heidelbergensi, nato d. 24. Aug. 1566. Grünbergii in Silesia, denato d. 24. Oct. 1625. cuius interscripta ceteris palmarum præripit Medulla Patrum Tomis IV. in 4. edita. Alius est 2.) CHRISTOPH. SCULTETUS, S. Th. D. ad D. Jacobi apud Stetinenses per 24. annos Pastor & Consistorii Regii Assessor. natus Stargardia in Pomerania anno 1602. d. 10. Dec. Patre *Henr. Sculteto*, Med. D. & insigni ejus loci Practico; Matre *Annae* Consule Cüstrinensi Henrico Reutero prognata. mortuus d. 22. Jun. 1649.

XL. DANIEL SENNERTUS, Med. D. & Prof. Witteb. Archiater Electoralis, natus Wratislaviae d. 25. Nov. 1572. Patrem habuit *Nicolaum* sutorum; Matrem *Cathar. Helmaniam*. Triplex ingressus est conjugium; Primum cum *Margaretha Schatonia*, Andr. Schatoni, Wittebergensis Medici filia; reliquum duplex cum viduis, *Helena Burenia* & *Margaretha Crameria*. Obiit Witteb. d. 21. Jul. 1637. ætatis 65. si paucos eximas menses.

XLI. DANIEL SPETKIUS, D. & Senior Comitatus majoris Hortensis, cuius fata, ut & totius Hungariae luctuosissima describit Hornius in historia Ecclesiastica. p. 786. sqq.

XLII. DANIEL SPRINGER, LL. OO. in Gymnasiis Wratislaviensibus Doctor Publicus, natus ibidem anno 1656. d. 22. Sept. Patre *Christoph. Springer*, denatus anno 1708. ibidem mense Novembre, cuius vitam fusius depinxit Pseudonymus quidam sub titulo *Diogenis Christiani*; breviter vero adumbrant auctores des neuen Bücher Saals P. I. p. 699. sqq. & 961.

XLIII. DANIEL STAHLIUS, Logices, Metaphysicsque P. P. Jenensis, natus anno 1589. circa festum Michaëlis, Hamelburgi, Franconiae urbe, cuius Pater fuit *Mich. Stahlius*, civis. Suinfurti is primo pietatis & humanioris literaturae collocavit fundamenta; post Coburgum abiens, Academiam tandem adiit Argentoratensem, indeque se ad Giessenam movens, Giessa vero discedens Jenam accessit, ibique anno 1620. in numerum Professorum receptus. Gemonio hic in matrimonio vixit. Primum enim duxit uxorem anno 1622. mense Julio

Virginem Magdalenam, Jo. Fiedleri, Pistoris ibidem filiam; hacce vero anno 1625. mense Martio defuncta, quæsivit alteram anno 1629. mensē Julio, virginem itidem, Mariam Magdalenanam, Wenceslai Arti, Not. Publ. Cæf. filiam relictam. Ex priori unicum suscepit filium; ex posteriori vero XI liberos. Mortuus tandem d. 17. May. 1654. Scripta nobis relinquens. 1.) *Canones Metaphysicos* Marpurgi, 1635. in 8. 2.) *Regulas Philosophicas* Rintelii 1635. 1641. in 8. 3.) *Institutiones Metaphysicas* Bredæ, 1650. 4.) *Quæstiones Logicas*, Jen. & Ff. 1652. 5.) *Compendium Metaphysicæ*, Ff. 1652. 6.) *Institutiones Logicas*, Hildesiæ, 1655. 7.) *Philosophiam Moralem*, Ff. 1652. in 12. ut varias ipsius dissertationes prætercurram.

Præterire hic nefas erit, magnum illud nostra ætate omnium Medicorum Lumen, GEORGIUM ERNESTUM STAHLIUM, Med. D. & P. P. Ord. in Academia Fridericiana. Hic natus est Onoïdi Franconia urbe, Marchionum Brandenburgiorum Sede, Genitorem agnoscens Job. Laurent. Stahlum, Consist. ibidem Assessorem & Secretarium; matrem Mariam Sophiam Meelfubreriām, civis hujus nominis ex primoribus dictæ urbis filiam. Jacetis fundamentis in Schola Patria simulque totius fere Medicinæ principiis prælibatis Salanam anno 1679. salutavit Academiam, qua & ipsi, ex alma Philurea, ubi per duos annos moratus erat, reduci desiderata studiorum præmia anno 1684. cum applausu summo distribuit. Naetus igitur gradum Doctoris haud multo post Archiatri Ducalis Saxo-Vinariensis munus obiit, quod tamen anno 1694. cum Professione Publica in Halensi Academia comutavit, ibidemque usque adhuc Medicæ Artis tyronum, presentissimum solatum existit.

XLIV. DANIEL STIBARUS, a Rabenek, natus equestri ordine; Patre in Francia nobili anno 1503. mortuus anno 1555. d. 7. Aug. anno ætatis juxta Joach. Camerarium, 51. aliis 52. Sepultus Wurzburgi in summo templo, de cuius singularibus animi dotibus plura commenmorat Melch. Adam, in Vitis Eruditorum.

XLV. DANIEL TILENUS, Aliis dicitur Silesius Professor, aliis Theologus Heidelbergensis. Edidit is anno 1612. considerationes sententiæ Jac. Arminii, qua hujus dogma de actuali collatione salvificæ gratiæ singulis hominibus applicandæ profligavit, at mox sententiam mutans ad Arminianos s: Remonstrantes transiit edita revocatione, quam Echo vocat, in Angliam Galliamque aufugere malens, quam suorum

orum sustinere ulterius invidiam. Ill. Henr. Ludolph. Bentheimius,  
Pastor, Canonicus & Superintendens Bardovicensis in libro. Holländ-  
ischer Kirchen- und Schulen-Staat, anno 1698. edit. c. 18. Danielem  
Tilenum nostrum Arminianorum prædicat eruditissimum.

Unicus hic sicutur, quantum mihi quidem constat, homonymus GEORGIUS  
TILENUS, natus anno 1557. d. 1. Febr. Goldbergæ, Patre Ge. Tilenø, Theo-  
logo & Matre Martha Lubelianæ. Studiorum sibi addiscendorum locum  
Academiam cum elegisset Wittebergensem, cursumque eorum feliciter ibi-  
dem absolvisset, Viennam, post Vratislaviam abiit, denique Italia Superi-  
ori & inferiori perlustrata, anno atatis 32. Patavii D. Juris creatus, redux  
vero in patriam anno 1587. Consiliarius dein Olsnensis creatus, mortuus tan-  
dem Vratislaviæ anno 1590. d. 4. Mart. Vir arte Poëtica haud leviter tinctus,  
cujus testis non levis est Meblius, qui ipsius Poemata omnia collegit & in pu-  
blicum edidit.

XLVI. DANIEL TOSSANUS, natus Mombelgarti anno 1541.  
d. 15. Jul. Patrem hic habuit Petrum Toffanum, mortuum anno 1573.  
ætatis 74. ex epistolis Erasmi, Calvini & Bezæ notum; avum Jo. Toffa-  
num, virum honoratum in vico S. Laurentii in finibus Lotharingiæ prope  
Marvillam oppidum & Jametum; matrem Joannam Trinkottam, civis  
Mombelgartenensis filiam. Matrimonium iniit anno 1565. d. 19. Mart.  
Aureliae cum virgine Maria Coverta Parisiensi, nata patre Philiberto Co-  
veto, curia Parisiensis celebri Advocato & Reginæ matris Catharinæ  
Medicæ Consiliario. inde Daniel noster felici fuit ingenioque per-  
quam liberali, summaque spei, pastor primo Mombelgarti, quo tem-  
pore Theologi quidam Stutgardiani ipsum Calvinianismi & Zwingli-  
anismi accusarunt tam acriter, ut Stutgardiam vocatus, ibidem compa-  
rere seque excusare fuerit coactus. Mombelgarto anno 1571. revoca-  
tus Aureliam ob furorem Pontificium sibi præter spem allatum, in Ger-  
maniam effugit, Heidelbergam vocatus, Electori ibidem fuit a Sacris.  
Dimissus vero abhinc Neostadium vocatus, successit tandem Jac. Gry-  
neo, Professori Theologiae primario, Doctor ibidem Theologiae renun-  
ciatus. mœrore dein ob uxoris obitum anno 1587. d. 28. Mart. graviter  
affectus, ad secundas hinc transiit nuptias anno 1588. d. 9. Nov. cum vi-  
dua pii viri D. Pintæ de Capella, qui olim Principi Condæo a Sacris

concionibus, contraxit matrimonium. mortuus tandem anno 1602.  
d. 10. Jan.

Difserit PAULUS TOSSANUS Heidelbergensis, cuius extant notæ Biblicæ,  
earumque Apologia.

XLVII. DANIEL VOETIUS, eximius est magni istius *Gisberti Voetii*  
filius. Qui Pater, Gisbertus scilicet, natus Heusdenæ (urbe Belgii) an-  
no 1589. postquam vero per 42. annorum spatum Sacra Ultrajectinæ  
administraret, mortuus tandem Gisbertus anno 1676. ætatis sua 87.

XLVIII. DANIEL WHITBY, Theol. Professor & Ecclesiæ Sa-  
ris buriensis Præceptor, quem nobis notum faciunt ipsius scripta, inter  
quæ eminent. 1.) *An Answer to sure Frotting against Mons. Sergeant  
and the Petty Flirts of Fiat lux.* Oxon. 1666. in 8. 2.) *The Certainty  
of Christian Faith, and of the Resurrection of Christ.* Oxon. 1671 in 8.  
3.) *A Paraphrase and Commentary upon all the Epistles of the New Te-  
stament,* Londen: 1700. fol. 4.) *A Sermon concerning the great Duty of self-  
Denial.* Lond. 1703. 4. 5.) *A Discourse of the necessity and Usefulness of  
the Christian Revelations,* Lond. 1705 in 8. 6.) *Sermons on the attributes  
of God,* Lond. 1710 in 8. 7.) *Tractat. de vera Deitate Christi aduersus  
Arii & Socini hæreses.* Oxon. 1691. in 4.

XLIX. DANIEL WULFERUS, quem autores des Berichts von  
neuen Büchern, p. 713. Ecclesiasten dicunt Noribergensem, qui anno  
1654. peculiari Dissertatione ausus est asserere, hanc propositionem.  
*Deus est passus,* verbaliter non realiter esse intelligendam, nactus sta-  
tim adversarium in Academia Jenensi Sam. Chytraeum, qui in disputa-  
tione de Abstracto & Concreto illum refutavit errorem. Memoriam hu-  
jus debemus unice B. Schertzero in Syst. Theol. p. 203.

L. DANIEL ZWICKERUS, natu Dantiscanus, Medicus post  
Belgicus, velut alter inter Socinianos Goliathus, ut de eo scribit Mart.  
Schoockius in præfatione libri: Sophistica Zwickero-Sociniana detecta,  
qui & hoc addit: *hominem estimari a multis in maxima Fœderati Belgii  
civitate, immo dici a Magisternibus quibusdam ibi viventibus, omnibus ad scri-  
bendum necessariis instrui subsidiis.* Audiatur vero & altera pars, B. sc.  
J. Guil. Bayerus in Diss. ad dict. Act. V, 38. seq. Zwickerus, inquit ex Me-  
dico infelix Theologus, doctrinæ de S. S. Trinitate abnegator & impugnator.

fuit

fuit de cætero nul ius hodiernarum Sectarum homo, quod ipse fatetur in Corollario Irenici Ireniorum p. 79. edidit inter alia anno 1649. assumto nomine: *Amaror Veritatis, Schediasma Germanicum*, de quæstione: ob ein Christ allezeit schuldig sey zu gedenken, daß ihm noch was bessers weder er schon in göttl. Wissenschafften hat, könne gegeben werden? it. librum, cui titulus: *Compelle intrare, s. Tractatus tractatum de Contradictione.* it. *Irenicum Irenicorum* an. 1661. in 8. Amstelod.

En itaque Virorum, quos omnes DANIELIS ornavit nomen, Semi-centuriam! Qui quo magis loca inhabitarunt diversa, diversisque insignibus cumulati fuere muneribus, eo firmius de dignitate & estimatione hujus nominis edunt testimonium. Et quum nomina plerumque sint omnia in iis, quibus impertita sunt, temperare mihi sane nequeo, quin firmiter animo meo persuadeam, Tuum Beatæ Memoriæ Parentem, D. Joannem Schreiterum, Celeberrimum in Ampliss., cui præs, Sparta Antecessorem, postquam TE ex faustissimo coniubio cum Maria, Domini Hieronymi de Steig, Dynastæ Habigsbergensis & Electoralis Metallifodinarum Annaemontanarum Præpositi filia anno 1624. mense Dec. suscepit, & sequenti Dominica H. Adventus sacro initiationis lavacro consecravit, non sine præconcepto omnieximio TE hoc decorandum nomine curasse, quippe eo ipso facto divinavit, fore, ut crescentibus aliquando annis judicatus & Dei judicium ad Ecclesiam Wurzensem evaderes dignissimum. cuius ominis, quemadmodum illud jamdudum summa cunylaude explevisti, sic in prima statim ætate dignas admiratione notas edidisti. ex quo enim necessaria studiorum primordia in ludo jeceras Annemontano, eademque in Gymnasio Halensi omnimode perfeceras, latere diutius TIBI haud volupe fuit, quin Vitebergam, Celeberrimam studiorum matrem profectus solidissima Theologiæ ibidem fundamenta solertissime hauseris, eumdemque fervorem Helmstadii sub auspicio B. Calixti feliciter continuans tantam TIBI comparaveris eruditioinem, ut in Lipsiensi Athenæo, quod Tua quoque præsentia illustrare nou recusasti, B. Hülfemannum, cordatum illum Theologum, non piguerit intimam Tecum instituisse familiaritatem. quam indefessam industriam quid aliud consequi potuit, nisi ut Patria felicissima, conferendo an. 1657. Pastoris & Superintendentis officium, dignum, eruditione TUA præmium persolve-

ret, sicque & omnes cives voti compotes redderet, & largam ex ministerio  
Tuo sibi messem promitteret, probe conscientia, quod Spiritus Parentis  
Tui beati duplex in TE consistat. quam exspectationem eorum quo-  
que per 55. annos cum nunquam moritura nominis Tui fama satiaisti: te-  
stis mihi hac in re est tota civitas Patria, quæ TE ultra dimidium seculi, en-  
gratiam Altissimi! suum salutat Pastorem fidelissimum. Venerantur  
TE omnes cives, quibus divina mandata ex ore Tuо disertissimo pro-  
mulgata sunt; prae dicant TE inopes, quos præsentissimo TUO subsidio  
semper levasti; TE loquitur rudis antea juventus, quam divina veri fon-  
tis aqua nutrita visti. quid quod & ipse Parens Tuus æternæ memoriae  
(quamvis durante tunc temporis bello innumeris semper ærumnis ex-  
positus fuerit, quas & inopinatus luctuosusque obitus unicæ fororis Tuæ  
Celeberrimo Godofredo Cundisio, S. Th. D. & P. P. Jenensi desponsatae,  
(quo autem conjugio non ultra hebdomadas tres fruera) anno ætatis i-  
psiis XIX, a C. N. vero 1632, d. II. Sept. maxime auxit) in TE tamquam u-  
nica prole & optimæ spei tum adolescentे persenserit solatium, & quum  
ipse A. C. 1638 d. 21. Febr. animam Deo, unde acceperat, reddere necesse  
haberet, satis sibi esse putaverit, quod filium relinquere, qui per eximia  
merita Nominis sui famam ab interitu servaturus & immunem præstiu-  
rus esset. Imminere quidem Familiae ingens tunc omnibus videbatur  
ruina, ast in TE augere Deo placuit prolem, qui plurimum TE fecit Pa-  
trem. Conjugium enim Tuum, quod cum Maria Magdalena filia, Nic.  
Fugmanni, Præfectura Belzigeni & Rabensteinensi per 45. annorum spa-  
tium functo, anno autem 1676. & munere & vita defuncto; & Magdale-  
na ex Familia Seelsica ortæ, quæ in Carpzovianam, Strauchianam, Lys-  
riam, Unruhiam, Heisbachiam, Geyeriam aliasq; se late disseminavit, in-  
iisti, sex liberis auctum est & fœcundatum. quos inter tres nominandi  
sexus masculini 1) Christoph. Schreiterns, qui habita prius Diff. Inaug. d.  
16. Febr. 1688. de divisione rerum communium, Licentiam & insignia  
Doctoralia in Facultate Juridica capesavit, jam vero & Syndici Academi-  
ci munere & Professione Juris Publica decoratus maximis civitatem A-  
cademicam sibi devinct meritis. 2) M. Daniel Schreiter, Pastor pagi cu-  
jusdam, prope Torgaviam fidelissimus, qui dudum jam dissertatione de  
voluntaria corporis sui mutilatione, d. 18. Oct. 1689. habita & favorem, &  
fa-

famam apud orbem literatum sibi comparavit. 3) *David Schreiter*, J.U.  
D. & Practicus in Patria Famigeratissimus: quorum posteriores duo ex-  
tra conjugium huc usque vivunt, primus vero filiam Magnif. D. *Jo. Cy-  
priani* S. Th. D. & P. P. Ord. Nat. Pol. Sen. & Coll. Maj. Princ. Collegia-  
ti in matrimonium duxit. totidem etiam numerantur filiae 1) *Magda-  
lena*, quæ, quantum mihi quidem constat, B. Hoffkunzio, Pastori & Su-  
perint. Torgaviensi, anno ab hinc defuncto, nupsit, nunc vidua ibidem  
degit 2) *Dorothea*, thoro juncta Clarissimo M. *Frid. Guil. Schutzio*, *Chri-  
stopb. Ge. Schutzii*, in inclyta Lipsiensium Republ. Ædilitiæ dignitatis Se-  
nioris, Templi ac Scholæ ad D. Nicolai Antistitis filio, nunc ad D. Nicolai  
constituto Concionatori meritissimo. 3) *Margaretha*, quæ d. 26. Jan.  
1684. hora 6. matutina, ætatis anno 21. mundo valedixit. hi omnes fa-  
mam, & gloriari nominis Tui eximie adaugent, quumque ex Divini  
Numinis Gratia vitæ suæ pariter ac studiorum primordia Tibi in ac-  
ceptum referant, gratissima semper mente beneficia Tua & amorem Pater-  
num collaudant atque condecorant, & mille vota ad Deum O. M. pro sa-  
lute & conservatione Tua effundunt. Haud raro equidem temporum  
sensisti vicissitudines. ex utero enim materno exiens e vestigio hanc mis-  
seriarum intrafisti vallem, patriæ, quam Leonis Septentrionalis furor indies  
cumulavit, ruina testis, nec minora animæ Tuæ afferebat mala postmo-  
dum obitus Parentum, Conjugis atque Filiæ, ut taceam alia, quæ TE ul-  
teriorius afflixerunt, fortis sinistræ genera. quod si proinde TE non Chri-  
stianum modo, verum etiam Crucianum appellarem, tantum abest ut er-  
rarem, ut potius exinde convenientia, quæ Danielem Hagiographum ac  
TE intercedit, certior longe eveniat. propriis itaque ingemiscens ma-  
lis Propheticas sine dubio non una vice ceninisti lamentas. Domine, in  
probatione(visione) tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit  
virium, quomodo itaque poterit servus Domini mei loqui cum  
Domino meo? nihil enim in me remansit virium, quin & halitus meus  
intercluditur. quoties vero missus fuisti in lacum miseriarum & tristitia-  
tæ, toties eduxit TE Danielis Deus, toties te tetigit Medicus ille prophe-  
tæ, dixitque: Noli timere, Daniel, vir desideriorum, pax Tibi, conforta-  
re & esto robustus. Dan. X. quæ verba & olim in Tui solarium loco præ-  
loquii in Concione Funebri in obitum filiae Tuæ dilectissimæ, Margare-  
thae



thæ d. 6. Jul. 1684. habita adduxit M. J. Ge. Cademannus Archidiaco-  
nus. confortare igitur ulterius, Vir Magnifice, (sic enim sub hoc novi  
anni auspicio voti candidissimi loco TIBI acclamare audeo) confortare,  
inlyte Daniel! Deus enim O. M., qui TE hunc diem attingere cle-  
mentissime concescit, dabit & porro utsis robustus, renovabit vires cor-  
poris Tui, ac perpetuam incolunitatem largietur. Lætabuntur sic Con-  
fanguinei Tui, Cognatique, plaudent auditores, exultabunt clientes;  
quoniam & mihi hoc pacto gratissima suppeditabitur occasio, ut publice de-  
monstrem, tantum Magnificentiae Tuæ me esse obstrictum, ut in  
servitiis Tuis emori mihi non possit non esse quam  
gratissimum.



W 25 119

X 27250-1



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



S.  
SEMI-CENTURIA  
VIRORUM DANIELIS  
NOMINE CLARORUM

qua  
V I R O

MAXIME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO  
ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

CHRISTOPHORO DANIELI  
SCHREITERO,

S. TH. D. CELEBERRIMO, ECCLESIAE WURZEN-  
SIS PASTORI, INGENUAE MISENENSIS SUPERATTENDENTI GE-  
NERALI MERITISSIMO, UT ET CONSISTORII POTENTISSIMI REGIS  
POLONIAE ET ELECTORIS SAXONIAE ADSESSORI  
GRAVISSIMO,

PATRONO, SPEIQUE PROMOTORI  
PLUSQUAM FILIALI OBSERVANTIA  
COLENDO

IN IPSO  
ANNI M DCC XIII. AUSPICIO  
GRATULABUNDUS,

ÆTERNUM DEVOTISSIMÆ MENTIS TEKMHPION  
PONERE VOLUIT, ET DEBUIT

IPSIUS

HUMILLIMUS CULTOR,

M. JOHANNES SAMUEL OTTO,  
NITZSCHWITZIO-WURZENSIS.

LIPSIAE,  
TYPIS JOHANNIS HEINRICI KOENIGII.

KONFREDI  
UNIVERS.  
ZVHALIE